Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Gotthard Heidegger

Gotthardi Heideggeri Recreationes Sacræ

Pars Posterior : Complectens Orationem Publ. De Naziræis V. T. Prælectiones Publ. V. De Raptu, & Scolope Pauli Prælect. IV. De Creatura Gemente. Paralogisten Explosum, seu animadversiones in Syllogismum quendam Pontificium noviter recoctum, & c.

Tiguri: Tiguri: Impensis Joh. Finsleri: Typis Schaufelberg & Christoff Hardmejeri, MDCCXI.

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866290710

Band (Druck) Freier Zugang




Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866290710/phys_0001
DFG

354 p Ind. Og. Tychsen.
229 p Ind. [illegible]
39 p* Scripsit Auctor hicce, etiam Mythoscopiam Romanticam. Videantur Georgius Paschius in Tractatu de uariis Moralia tradendi modis p. m. et J. C. Wolfius in Disputationibus de mythica Moralia tradendi ratione Nou=antiqua.

F. C. – 3981.

Germanico pariter idiomate varii generis edidit scripta. Absoluuntur illa, partim uersionibus e. gr. Miltoni Paradisi, partim propriis. Inter quae memini, me legisse, Apologiam, acerbae nimis N. H. Gundlingii oppositam, nigro sale, omnibus crisi bellū indicentis ~~Gundlingii~~ Noribergensis.

ii

GOTTHARDI HEIDEGGERI,

RECREATIONES SACRÆ.

PARS POSTERIOR

Complectens

ORATIONEM PUBL. DE NAZIRÆIS V. T.

PRÆLECTIONES PUBL. V. De Raptu, & Scolope Pauli.

PRÆLECT. IV. DE CREATURA Gemente.

PARALOGISTEN EXPLOSUM, seu animadversiones in Syllogismum quendam Pontificium noviter recoctum, &c.

TIGURI,

Impensis Johannis Finsleri, Bibliop.

Typis Schaufelberg. & Christoff Hardmejeri,

MDCCXI

ORATIO DE NAZIRÆIS V.T.

habita pridie S. Paschatis An. 1708.

Magnificentissime Domine Consul! Magnifice Domine Proconsul; Amplissimi, Gravissimi D. D. Tribuni plebis, atque Senatores; Consultissimi, Prudentissimi D. D. Examinatores atque Assessores; Magnifice Dom. Scholarcha; Ecclesiæ Scholæque Præsides, Professores, Pastores, Doctores, Moderatores Venerandi, Celeberrimi, Experientissimi, Meritissimi, Excellentisimi: Hospites & Auditores omnium ordinum nobilissimi, spectatissimi; Vos denique

que DEO, Musísque sacrati Juvenes præstantisimi, florentissimi!

Exordium.

NImio sæpius evenire, quæ non cogites, quàm quæ cogites, quod Comici est dictum, nemo est, quin quotidianâ quasi experientiâ habeat exploratum; non afferam Scoticam; si tamen Scoticam; Gallorum expeditionem, non eorundem (si fides est famæ) fugas & strages, non tentatas elusásque præter opinionem urbium proditiones, non Sueci illius Hannibalis rapidas victorias, non similia alia, quibus nostri, queis vivimus dies, quasi exuberant, & si divinis quibusdam credendum, mirificentiùs jam statim exuberaturi sunt. Alius hæc curet aut quærat foris Conon, qui libentiùs *Reges sonet atque Tetrarchas omnia magna loquens.*

Ego itaque ipse hîc stans ignobile quidem, siqúe non festis, saltem fastis indignum, sed tamen præsentarium sum Exemplum.

Non-

Nondum totum quatriduum effluxit, cùm adhuc credidi, non aliud mihi datum negotium, quàm ut solemnibus his Paschatis diebus cum mea pube, de more, sacris interessem orationibus, & dulcissimi nostri Servatoris crudele pro nobis supplicium mente auribúsque haurirem, *semper auditor, nunquámque reponens.* In eo dum jam totus esse incipio, atque simul acuo dentes, ut ferculum, quod à viro aliquo Docto Claróque anniversaria hac hora hîc apponendum speraveram, vobiscum A. H. invaderem; Ecce à Venerabili nostro D. Antistite inopinus adest nuncius, jussórque, ut, cùm nescio quo errore deesset Orator, ipse orator, ipse coquus, ipse dapifer, ipse promus esse vellem! Notum est quantopere apud satyricum expaveſcat

— *Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.*

Tametsi me non videam astiturum ad crudelem illam aram, sed potiùs in pleno Charitum & humanitatis choro confessúque, non possum tamen non perinde extremiscere. Quæ singula viro etiam habili & obfirmato metum incutere possent, ea omnia quasi facto agmine tra-

gulas prodeunti & retinacula dicenti injectant, balbuties nativa, pectoris laterúmque debilitas, id ipsum in rurestri nuper gurgustio meo suffugere hortata, quod in tanta jam luce agendum sumsi, desuetudo non dicam agendorum, sed omnino audiendorum, quæ tam illustri & delicato loco geri convenit; pavida amicorum, & avida æmulorum exspectatio, qui posteriores jam dudum legem sibi fixerunt nil non suggillandi, & in aliquam culpam, quâ liceret, detorquendi, quod à me esset profectum. Quæ omnia cùm per se fibulam mihi imponere apta fuissent, jam tantò sunt iniqua magis, postquam in epithecam illis accessit temporis, ad unius, nec integri tridui angustiam, reducta parcitas; adeò ut tempusculum, quod nemini alii sufficisset ad dispiciendum seligendúmque Thema, mihi sufficere debuerit ad elaborandam, hui! quid dixi, quadrupedanti potiùs & πεζοέντι καλάμῳ deproperandam Orationem.

Hæc, inquam, erant, quæ me deterrere & tacitis potiùs regnare Amyclis jubere poterant, nisi Ven. & Excell. D. Antistitis omni exceptione major Authori-

thoritas, & omni imperio violentior blanda consuasio, stimulos subdidisset, ad audendum, quod sum ingressus, & tentanda hæc cæca mihi publicæ solemnitatis vada.

Cùm itaque versemur in meditandis hoc tempore D.N.J. Christi magnalibus, & exhaustis pro nostra salute durissimis gymnasiis, quæ ex Historia Novi Testamenti facundi cottidie expromunt Præcones, circumspexi de aliquo ejusdem ex Vet: Test: Typo, qui simul ad officii, quod sustineo, indolem (ne videlicet ultra malleum sapere, aut Icario more altiora viribus tentâsse viderer) nonnihil alluderet, reperíque materiam de *Naziræatu* & *Naziræis Vet: Test:* Statim igitur egomet mecum, Hæc mea sunt, dices, injiciésque manum. *Propositio.*

Nolite autem A. O. O. H. expectare orationem figuris stellatam, aut superlativis fulgurantem, quales aliquot mensibus formari nascíque solent. Multò minùs Philologicum aliquod tragema Rabbinicis aliísque aromatibus perspersum, quo universa de Naziræatu V. T. messis unâ cum spinis, urticis, sterilibúsque avenis inferatur, quod anni foret

opus, in quo tamen missu, quippe innumera ferente condimenta, effugere non possem, quin multis multa in mentem venirent, quæ à me ignorata, prætermissa, sciúsque posita indignarentur.

Cùm justa igitur temporis excusatione, saltem ea, quæ instituto commodiora, certiora, ad οἰκοδομῆς ἕπεσθαι propius factura videbuntur, convivis, ut spero, si non cocis placitura, ita crassa Minerva exequar, ut de *Naziræatus origine, disciplina, scopo, variáque mimesi*, pro clepsydræ modulo, Duce Jesu & Auspice Jesu, illo nostro salubriter jam in Cruce rubente Archi Nazireo, differam.

Optatio benevolentiæ.

Vos A.O.O.H. speusticam hanc tumultuariámque cænulam, ἄπυρον simul & rusticum obsonium non infecturum, ut spero, sed refecturum palatum vestrum, quod in illustri hoc cænaculo sapidissimis ferculis jam dudum est exatiatum, æqui bonique consulite, mihíque expromenti vultuum vestrorum serenitate animum virésque subjicite, id quod vos etiam atque etiam, qua par est submissione, rogo.

In Ecclesia Israëlitica pluscula

Plusculorum generum dedicatos sacrósque ordines δήλωσιν suam πυθμαλικὴν haben-

habentes, in casca illa Israëlis Ecclesia viguisse, nemo est, qui ignoret. Præsagos videlicet vates, non qui ex tripode & Jovis diphtera, sed ex tertio Cælo & Summi Numinis cortina oracula funderent. Pontifices rituum sacrorum modiperatores & variam his operam famulantes popas atque buthytas, pollinctores, cinisiones, ædituos, Symphoniacos, ostiarios, mox ex Rechabi progenie hydropotas & scenobios. Nonnunquam quoque Prophetarum παίδας μισοπαλάγας, qui in peculiaribus hebeteriis ad Jordani crepidinem extructis studiorum causâ conviverent. Curiosior autem vix quisquam extitit ordo, quàm ille, quem præ manibus habemus, Nasiræorum.

Sacrorum Ordinum genera.

Vix tamen Nasiraeatu quisquam curiosior.

Vox Hebræa נְזִירִים *segreges, separatos eximios, continentes & abstemios sonat*, unde נְזִירוּת fortassis idem quod פְּרִישׁוּת *separatio, separatismus*, (ut ita loquar) Nasiræatus. LXX. è re potiùs, quàm genio vocis vertunt ἁγιαμένους, quasi si comica voce diceres *votitos*. Hesychius non ineruditè ἀφερωμένους, τῷ Θεῷ κεχαρισμένους. Atque hîc monendi veniunt Tyrones, ne *Naziræos* hos nostros confundant cum *Nazoræis*, qui in

Vox Hebraea נזירים *quid sonet?*

Nazoræi qui?

veteri Ecclesia Syriaca voce *abscissionem* sonante, ita nuncupati ἀφανιστὰ, abscissores, hostésque fuére V. T. Deitatis Christi arrosores, Artemonitarum Patres, quibúsque jam olim per calumniam accensus videtur Apostolus Paulus. Apage hos! Quemadmodum quoque minimè huc faciunt *Nazareni* illi oppiduli Galileensis, à *surculo* dicti, coloni, quorum nomen equidem & Christo ipsi & Christianis postmodum hæsisse, licèt contemtûs causâ ab hostibus inditum, non illubenter sagaciſsima Dei providentia tulit. Nempe ecce sic illos *Nozerim*, qui olim Judæos inhortaturi sunt, *venite ascendamus Tzionem ad D. Deum nostrum*, Jer. XXXI. 6. ubi *Abrabenel* aliique recutitorum procerum Christianos intelligere coguntur.

Nazareni?

Quicquid sit, neutra hæc cohors ad nostros Naziræos magnopere spectat, quod scriptionis diversitas facilè præfert, ne quis cum Patribus quibusdam sono deceptis & Philologiæ sacræ subinde perignaris heic dormitet.

Nostri igitur Naziræi vi vocis separati, selecti, sive abstemii fuére. Ac lubet hîc ante omnia animadvertere, fuisse hanc

Nazirai h. l.

hanc & esse etiamnum omnium Religionum indolem, ut suos habeant separatos, selectam pubem, florem cremoremque illibatum populi, atque intimam plumarum medullam; homines, qui exquisitiùs cæteris vivere & spontaneis votis, sive errore, sive, quod rarius, judicio susceptis, astricti δεισιδαιμονέστεροι δοκοῦντες εἶναι; Non olim Græculi, non Zabii, non Romulidæ, non Scythæ, non Celtæ, non Gangetis potores, non hodie Antipodes nostri, non Sarmatæ, non Turci, non denique cives ἑπταλόφου caruére, carént ve delectis ejusmodi Proceribus, & pomposis austerioris vitæ candidatis, qui

Omnium Religionum indoles, ut suos habeant separatos.

— *Vitæ diversum sectentur iter,*
obstipo capite (quasi videlicet bulbos quærerent) *& figentes lumina terræ,*
Murmura secum ipsi & rabiosa silentia rodant.

Quid? quod ipsa edecumatior Christianæ gentis tribus, quanquam universim ad id destinata, ut, exprimendo ipsorum Naziræorum nostrorum typo, esset γένος ἐκλεκτὸν, καὶ βασιλικὸν ἱεράτευμα: suos tamen subinde invita videt pseudo-Naziræos, qui velut olim Athenæ Helladis

Etiam in Eccl. Chr. pseudo-Naziræi.

Hellas, ita illi Christianorum Christiani, Jesuelitæ, Lux & Sal terræ, medulla Zionis, elixiriorum & tincturarum pietatis soli gnari, & intimæ admissionis cælicolæ cluere gestiunt, præ quibus reliqui omnes carnalis turba, Babylon, semen serpentis nuncupandi simus.

Nazireatus leges à Deo fixæ, ad refrenandam ἐθελοθρησκείαν.

Ac potuit profectò prævidisse Deus, cùm olim Ecclesiam Judaicam plantâsset, non defuturos, qui affectatæ devotionis stimulo impetúve aliquid moliri non plebejum, cornicum configere oculos, & (quod Poëta dixit) cuperent

— Ἀερτάζειν καὶ ὑπὲρ ἔχοι ἐμμεναι ἄλλων.

Quocirca ut ad laudabile sanctúmve quippiam hunc impetum verterent, neque sequiorum gentium καινοζηλίαι ad res superstitiosas prorumperent, aut saltem ἐθελοθρησκείαν, ut Pauli, sive ἐθελοπερισσοθρησκείαν, ut Epiphanii vocabulo utar, inutiliter & damnosè Jesu darent, voluerit ipse metas carcerésque figere, quæ & commodæ, & Mysteriorum fætæ, atque adeò θεόπνευστοι existerent.

Ejus institutio Sacramenti faciem habet.

Cæterùm non interim diffitemur, Nazireatûs institutionem habuisse simul Sacramenti alicujus faciem, & in pignus familiarioris gratiæ Israëlitis fuisse indultam.

dultam. Excitavi, inquit Jehova, è filiis vestris Prophetas, & è juvenibus vestris Naziræos. Amos II.8. Et hinc fieri potuit, ut quicquid in illa Ecclesia esset imprimis lætabile, venerabile, peculiare, sacrum atque examussitatum, laxato jam significatu *Nezer* vel *Nazir* adpellaretur. Veluti corculum illud familiæ Jacobi JOSEPHUS Gen.XLIX.26. Mitra Sacerdotalis, corona Regia, & pluscula alia omnibus nota.

Quando adeò divus Jeremias horrendas strages atque squalores filiæ Tzionis, cumprimis *Naziræorum* ejus commemorat, *quos puriores nive, nitidiores lacte, rubidiores carbunculis, sapphiris politiores* fuisse perhibet Thren. IV. 7. malim ego (si liceat) laxiori significatu, quò non obscurè propendet θωμάσιος ille Bochardus, hìc intelligi patricios juvenes, Principum pueros, Satraparúmque prætextatos, qui tum nativo corporis nitore, tum quæsitis lenociniis virguncularum oculos & valga savia in se convertere gestiissent, quàm verò nòstros *Naziræos*, quorum incultior cultus nil nisi austeritatem & asperitatem præ se tulisset. Quod enim ad animi & virtutum

Locus Thren. IV. 7.

tutum nitorem quidam transferunt, quâ, obsecro, verosimilitudine de tali rerum illius temporis statu astruent? Quid multis? qui votitos nostros Naziræos hic deserere non possunt, deserunt tamen illum animi nitorem, atque eò Prophetæ phrasin deflectunt, ut sanè putent, de vivido cutis nitore, quem vitato vini, cupediarum & novaculæ usu sibi ad Danielis exemplum conquisivissent, accipiendam. Verùm judicent nasuti talium arbitri, an id, quicquid esse poterat, mereri potuisset tantam Prophetæ in traloquendo formosulorum illorum splendore ubertatem, qualem nullus Homerus, nullus Anacreon, nullus Tibullus est assecutus. Certè vel sola pilorum in Naziræis nostris liberè fruticantium opacitas totum hunc splendorem obfuscat & abolet.

Naziræorum duæ classes præcipuæ Prior

Ut verò è diverticulo in viam redeamus, vel pueris notum est, *Naziræos nostros* non unius fuisse cortis sortisque. Duæ autem præcipuè classes excelluisse videntur, altera eorum, qui divinitùs in ipsa conceptione designati, aut non sine χρηματισμῷ adhuc à Matre rubentes devoti, toto vitæ tempore Naziræatus legibus quibusdam (non enim ausim dicere omnibus, quicquid asseverent de Naziræatûs indivisibilitate seu puncto

Ma-

Mathem: curtæ gentis Proceres) astricti fuissent, quales Samsonem, Samuelem, Johannem, ac nescio an non ex muliebri quoque sexu, Hannam, Holdam, Deboram fuisse verosimile est. Alieniores nonnihil ab instituto nostro, quàm ut eorum Mysteria & abditos recessus perquirere sit necesse.

Altera verò eorum, quos Naziræos dierum nuncupare mos fuit, qui sese spontaneo voto ad certos dies Naziræatûs strictissimis legibus manciparent, qui dies, siquidem tralatitiæ hariolationi fidem substringimus, secundùm valorem literarum vocis יהוה minimùm triginta esse debuerant, sed à plerísque aut interruptim redintegrabantur, aut in menses annósque plusculos continuabantur. Et fuére hi quidem utriúsque Sexûs, variæque ætatis, quanquam si Amoschi locum paulò ante à nobis adductum, aliósque exactiùs pensitamus, ferè viros Juvenes, generoso sanguine bullientes in hac palæstra sese exercere & πτερυγίζειν, *volatum* quasi *conari* voluisse liquidum fiat. *Posterior.*

Atque in hanc tribum vulgò referunt Paulum, jam quidem ætate provectum, & Apostolatûs munere sublimem, quem votum suum solenni tonsura solven- *Nazireatus Paulo. Act. XVIII. XXI.*

tem Actorum XVIII. & XXI. nobis describi autumant. Ac de posteriori quidem loco res est utcunque manifesta, Paulum videlicet suasu amicorum, & lenocinandorum neophytorum, qui hirudinum instar ritibus Mosaicis adhuc adhærescebant, causâ, cum IV. viris quibusdam votum, sine dubio Naziræatûs, soluturis, exauspicatoriæ purificationis, fortè & tonsuræ subiisse in Templo ritus aut saltem sumtibus & Authoritate illis adfuisse atque præfuisse. Verùm de altero loco non diffiteor, valde me esse incertum, imò, si textum inspiciam, parùm abest quin persuasus sim de Aquila, qui Priscillam habuit Junonem, & inter cæteros Judæos Româ exulatum missus, mox in comitatum Pauli allectus, asseri, quod festinantiùs, quàm solidiùs de Paulo vulgò interpretantur. Et quid si votum istud cujuscunque tandem, ne Naziræatus quidem fuit? Cur enim Cenchræis tondebatur ille quisquis tonsus est? Non enim Cenchræis, non uspiam alibi, sed solo in Tabernaculo, aut Templo fas fuerat Naziræatûs & auspicare & solvere vinculum. Unde sanè hodierni Judæi, Naziræatûs votum sibi exole-

exoleviſſe haud obſcurè largiuntur, fruſtrati quippe & æternùm fruſtrandi Templo illo, in quo unicè talia Sacra peragenda fuiſſe ſciſcuntur. Ne jam dicam Naziræatûs retinacula Paulo, qui deſultoriam vitam per varia hoſpitia, varias gentes, quibus ſe quandoque, etiam ipſo nomine inflexo ad earum aures, attemperare haud gravatus eſſet, variásque miraculorum, etiam in cadaveribus opportunitates traxit, penitùs fuiſſe incommoda: Verùm hac de re diſpiciant, qui in bicipiti dormiverunt Parnaſſo, & fonte labra proluerunt caballino.

Naziræatûs votum magni momenti.

Nobis, qui tenues ducimus in pulvere ſulcos, ſufficit Naziræatûs votum, quicunque tandem illo implexi fuiſſent, fuiſſe momenti oppidò grandis. Eô non quidem ſuppererogatorium (ut inficetè nonnulli loquuntur) ſed tamen majus quidpiam vulgò præſtitêre magnanimi candidati noſtri, & non contenti cum reliquis decimas & primitias ſolviſſe annonæ ſuæ, ſe ipſos ſacrificium CORBAN aliquod peculiúmque Deo fecére. Quinimò oportet rebus Eccleſiæ Judaicæ adhuc integris graphicam exquiſitámque

támque fuisse horum tribulium sanctitatem, & χαλκέντρου in pensitanda lege assiduitatem (hæc enim tacente S. Scriptura eorum pensa fuisse conjicere licet) unde non minùs ac mitrati illi sacrorum focorum Antistites in precio existimationéque haberi, digito monstrari, ob eorum os ora obverti, de via illis, velut olim vestalibus Romanis, decedi, quippe Naziræatu suo quasi Corona aut Diademate quopiam rutilantibus, ac penè superbientibus.

Ejusdem disciplina, & scopus retusior.

Lubet igitur A.H. velut reducto sacro Conopæo paulò penitiùs inspicere *sacrorum horum Militum* tum *disciplinam*, tum totius negotii *retusiorem scopum*.

Romanorum cura in militia tyronibus legendis.

Vix est, quem fugiat, quàm sollicitam curam olim casci illi Romulidæ adhibuerint in legendis exercendisque militiæ tyronibus; neque enim ad tympanorum taratantara in pandochéis inter vini & alios tartareos fumos ex quavis colluvie quosvis, impedimenta magis quàm adjumenta victoriæ futuros, promiscuè admittebant. Legére igitur de temperatioribus plagis, quibus & sanguinis & prudentiæ affatim, pectus latum, cervix non panda, sed erecta, tori spissio-

spissiores. Contrà mancos, desides, væcordes, ventricosos, quippe qui tribus clypeis vix tegerent aqualiculi spatiosam molem, præterea servos, negociatores, aucupes, dulciarios, sellularios, & quorum in gyneceis præcipua opera foret, respuebant penitus, & quasi profanum arcebant vulgus. Delectabantur itaque fabris macellariis, venatoribus, oratoribus, bubsequis & omnibus iis quibus multo attritu callosiores essent manus, robustioresque nervi.

Par cura de Exercitiis. Existimabant enim minorem futurum laborem, si consuetum. Ante omnia fingebant illos ad alacritatem, modestiam, temperantiam, verecundiam. Nulli hodierni Monachorum, quos vocant, novitii, nulli militiæ Centuriones Ducésque tantâ curâ ad hæc adsuefiunt, quàm olim gregarii illi milites, nisi forte excipere quis velit Turcarum Janizaros, sono nominis, haud scio, quo fato, à Naziræis nostris perparum abludentes. Prostant adhuc apud Tullium, Vegetium, Volcatium, Josephum prolixæ descriptiones exercitiorum, quibus Tyrones Romani domi duelliqúe quasi macerati

Et exercendis.

):():(fue-

fuerant,& quibus imperatores ipsi quotidiana curiositate interfuerant , sive exerceretur hæc pubes ad gradum militarem,sive ad cursum saltúmve, sive ad natationem ope scutorum vimineorum, sive ad jactum missilium,sive ad equitationem,sive ad ponderum gestationem, unde meritò ab exercendo exercitui, à cohercendo cohorti , à castè vivendo castris nomen obhæsit.

Idem ferè Dei ritus quoad Naziræos.

Non dispari ritu D. T. O. M. olim, quos ad Sacram militiam, & res extraordinarias gerendas adhibere decreverat,ex Naziræatu,velut opportunissimo plantario selegisse conscripsisséque & in eadem quasi palæstra præviis gymnasiis,tanquam acri rota finxisse committigasséque visus est. Testes articuli illi disciplinæ Naziræorum, quibus describendis Sacer polyhistor Moses cum cura perfungitur.

Disciplinæ eorum articuli.

Interdictum Vini,&c.

Primo itaque interdictum videas Naziræis nostris omnem vini, vinaceorum, uvarúmque etiam passarum,aceti, vini secundarii, seu poscæ,quam *mischrat* vocant,affusorum uvis jam expressis liquorum, decoctorum è palmulis, pomis,frugibus,&c. usum,& tanta quidem cum

cum ἀκριβείᾳ, ut si verporum credimus Magistris nostris, vineis vitibusque ne quidem appropinquare ausi fuerint. Nempe grandis omninò rerum sanctè gerendarum remeligo sublata videbatur, si succo, qui cerebello ejusque operationibus valde fuisset in mora, caruissent, aut sanè carere didicissent. Non enim *horum Catonum debuerat mero caluisse virtus*, aut *flore vini veteris admoneri industria*. Non placent Deo in opere suo κυλίκων ἐρέτης, *poculorum remiges*.

Nemini id mirum, nemini durum videatur, cùm in Regione illa tanta fuerit ferculorum sapiditas ut stomacho rectè digesturo haud quaquam affuso vino fuerit opus, præsertim quod nostris vinis sive villis dissimillimum, & ne in tabernis quidem sine Najadum migmate bibi solitum, facilè statimque fumis cerebrum oppleviſſet, & sacrarum meditationum μηχανὰς laxâsset: Quocirca non abludit ab eodem promovendorum S. negotiorum scopo, etiamsi ἐναυλοφανὲς, quod his locis & temporibus, pene dixi stomachis, Pauli exemplo illis, qui sedendo & meditando gloriæ divinæ promovendæ impallescunt, frugalis aliquis

usus Nectaris vinoio bónoio, ut cum Ausonio jocer, conceditur atque consuadetur.

Novacula. Præter autem pocula Naziræis nostris etiam novaculis interdictum erat, quod quale sit nunc videndum. Scitum est plerisque gentibus, quibus nitoris atque concinnitatis aliqua cura hæsisset, præcipuum semper fuisse studium, ut capillis barbáque eleganter compositis, vultus decorem atque majestatem adjuvarent. Testantur id nummi, in quibus non sanè solùm *Lycurgos*, *Camillos*, aliósque retrusioris ævi proceres hirsutos & inculcos liberè fruticante pilo visere licet, sed etiam εὐπλοκάμους, comatulos, cincinnatulos longè plures, qui artificiosè castigatam gererent cæsariem, & calamistris insertisque liciis tæniisque in certas illam figuras contortuplicarent, muliebres fere, nisi barba promissior, quanquam ipsa quoque in superstitiosas quasdam redacta orbitas, viros monstrâsset. Quæ Græcorum consuetudo fuit. Romanis diu satis & usque ad sequiora secula juvenile & imberbe mentum placuit, & turritus revolutis in se crinibus vertex, sive ut cum Apulejo ampuller,

crines

crines præmulsis antiis, promulsis caproneis anteventuli & propenduli. Apud utrosque igitur cosmotria tonsoriáque ars in precio fuit. neque cæsariei barbæque solùm medicina quotidiana fiebat, sed & superciliis, quæ more nostris temporibus inficeto, cœuntia amabant Græculi, veluti apud Anacreontem aliósque obsérvare licet. Multa hinc calamistrorum, multa novacularum, multa pectinum, acuúmque discriminantium passim mentio, multa quinetiam pumicum, vollellarum, Salamandrarum, quibus non facies solùm, sed & crura aliáque corporis membra pilabantur. Accessére quin etiam, sicubi crinium nativus deesset ornatus, phænaces, galericuli, caliendra, capillamenta emta atque ascititia, supercilia quoque pyxide depromta, denique servorum, tonsorum, anuum toti greges, qui operam non herabus solùm, sed & heris heic navarent. Certum est, & variis S. Pandectarum locis liquidum, non defuisse Judæorum genti ejusmodi lenociniorum affectationem, quæ tamen quomodo per omnes minutias se habuerit, obscurioris est, in gente

ista, effigierum experte, indaginis, nec nostri instituti.

Quicquid igitur hujus esset non necessariæ munditiei, id omne Naziræis nostris, velut effæminatum, molle, dissimulanter lascivum, pretiosi temporis furax districtè prohibebatur, atque tanta quidem cum severitate, ut novacula, forfice, volsella ne tangere se quidem, aut unguibus pilum ullum vellere sint ausi. Videlicet, si in talibus vel leviſſima annuatur synchoresis, statim pravo illo, sed tralaticio mortalium more cudduntur inde favores ampliandi, ut loquuntur, sensimque reditur ad exoticam illam affectationem. Ipsi igitur Naziræi æternitatis, qui non mensem annumque unum alterumve, sed totam vitam in Naziræatu posuissent, ab hac lege haud quaquam fuere immunes, quamquam credibile sit, vittis reticulisque coërcuisse positos sine lege capillos (velut apud vett: quosdam, qui superstitione alerent comas moris fuisse *Ovidius* testatur) ne videlicet Heroicis aliisque functionibus in mora essent.

Samson autem, & ipse Naziræus, capillos suos in cirrhos cincinnosque cer-

to

to numero distinxit artificiosè substrictos, (qualem in vetustis nummis Ptolomæum Lagum Ægypti Regem, numeratis & velut in aciem aliquam ordinatis cincinnorum annulis non admodum viriliter micantem cernimus) Absque hoc fuisset, haud certè video, quomodo bellator ille, vel lanienis suis commodè defungi, vel Glyceriis suis potuisset videri amabilis.

Tangendorum mortuorum.

Ut verò redeamus ad ordinarios nostros strictiori lege viventes Naziræos, nondum hîc stetit examussitandi sacri hujus ordinis severitas. Cum enim more quodam omnium gentium, Judæorum imprimis, varia sint erga corpora defunctorum, consanguineorum imprimis, officia, justa, ceremoniæ, quales vivis fortasse nunquam obtigissent, videlicet abluendi, defricandi, pollingendi, adolendi, coronandi, efferendi, exenterandi, componendi, cremandi, de quibus fusè suis locis viri imortali laude digniſſimi Gyraldus, Kirchmannus, Hottingerus, Heideggerus: Naziræis nostris universæ huic negocioſitati ne in leviſſimis quidem se miscere fas fuit. Non chari genitoris, non blandæ matris, non fratris,

non fororis, non parvuli Æneæ, non dulcis amici ſupremo flebilique nutu valedicentis claudere oculos, non ſuavium expalleſcenti labio oppingere, non ore legere,

— Si quis ſuper halitus erret,

non denique vel extremo digitulo exanime corpus contingere licuit. Et ſi quis incurio incautove tactu cujuscunque cadaveris fortuitam licèt hujus ſanctionis violationem commiſiſſet, ecce nulli erant omnes Nazireatus anteacti dies, profanata omnia, expiationibus luendum, & novus ab integro redauſpicandus votivorum dierum ordo.

Num tamen iisdem rigidæ legis compedibus aſtricti fuerint Naziræi æternitatis, ambigi meritò poteſt, Certe Bellator ille Samſon Philiſtæos non duntaxat vivos & palpitantes, ſed porrectis in portam rigidis calcibus exanimes exquamavit, eorúmque exuvias ſuas ſubinde fecit induvias. Is ipſe os aſinini cadaveris (niſi forte dentatum aliquod clavæ genus intelligere malis) non manibus ſolùm geſtavit, ſed & exuxit. Is denique ipſe mortuo Leoni non quidem barbam vulſit, ſed mel apicularum opera

in

in hiante rictu congestum avidè exemit, quibus in rebus illum vel peccasse, vel necessitatis opus feciſſe, quod eruditi contendunt, vix ulla ratione verosimile reddi potest. Quid quod Johannis illi Discipuli, quos Magistri disciplinam secutos esse extra dubium est, annon truncati illius cadaver, suis manibus exceperunt, extulerunt, composuerunt?

Temporarii Nazirai ad libertatem avitam redire poterant.

Veruntamen redeamus ad temporarios Naziræos nostros; Illos, inquam, qui mense uno alteróve in hac palæstra exhausto, carceres mordere, rumpere vincla, & ad avitam libertatem postliminiò remeare poterant. Id quod sanè Deus T. O. M. haud gravate indulserat, non eo quidem sensu, quasi deinceps laxata omni disciplina, ad plebejæ consuetudinis licentiam reverti, aut munditiei, sanctitudini, temperantiæ, humilitati segniùs litare licuerit. Quemadmodum hodierno die in Væjovis Capitolini imperio peractis votivis peregrinationibus, jejuniis, susurris homologeticis, chameuniis, ἀμμαστιγώσεσι, vulgò reditur εἰς ἀρχαίας φάτνας, ad κύλισμα βορβόρου: grandi documento, quàm seria & sancta, si Diis placet, pomposa illa exercitia exti-

Sed diverso quàm qui in Ecclesia Romano obtinet, more.

 terint.

titerint. Id quod *Ciliæ* comiti haud ita pridem à peregrinatione Romana reduci objectum, sic ab eo excusatum referunt, ut dixerit: *Sutor meus etiam Romæ fuit, & & ad sutrinam rediit.* Ita credibile est, Sanctum, quem vocant, Patrem, qui his diebus adeò est δεισιδαιμονὴς, adeò industrius, adeò chrestologus & de pietate loquax, adeò in nugatorios quospiam pœnitentiæ actus rigidus, adeò solitorum bacchanalium parcus provisor, si fortè lætiores ingruerent nuncii, si à patrimoniis præsepibúsque suis pulsum sciret molossicum istum incommodisticumque militem, si felicem tentatæ in Britanniam Gallorum suorum excensionis audiret successum, si optabilia ex Iberorum, Italorum, Germanorum, Silesiorum plagis acciperet nova, mox ludis ædilibus, bacchanalibus, lupanaribus, nequitiis & licentiis omnibus fibulam laxaturum; Nempe hæc est Sanctæ Romanæ gentis Disciplina, tot jam seculis non variato tenore observata.

Perennare debuit ipsorum ad pietatis exercitia alacritas.

Absit, absit, desultoriæ ejusmodi & jocularis sanctimoniæ reos peragamus Naziræos nostros. Aliud his jecur, aliud esse pectus debuit. Nempe acquisito sub-

legum

legum vinculis habitu, deinceps etiam sine legum lupatis, sua sponte expeditiores & alacriores ad pietatis exercitia, ad oraculorum divinorum pensitationem, & quorumvis sufflaminum studiosam evitationem existere poterant. Manere & perennare debuit, quod prora fuit & puppis voti, tametsi superficiariis quibusdam & symbolicis ritibus fuissent utcunque soluti. Non secus ac artificum Tyrones, duriori hactenus custodia pressi, & varia servitute macerati, peracto tandem Tyrocinii curriculo, solemnibus pompis privilegia capessunt ac honores, non ut deinceps decussatis stent manibus, & in otia fæda recedant; sed potius ut acquisita sic habilitate, vel tum maximè navi evadant

—— *Cum libera dantur*
Otia, furtivum nec timor urget opus.

Festa Naziræorum solemnitates.

Fuere itaque & Naziræis festæ quædam solemnitates, si quando Tyrocinii compedibus exolvi, & suopte cortice nare occepissent; videlicet magnifica in tabernaculum templúmve processio, longo cum sequentum & plaudentum syrmate, in illud cumprimis conclave, quod Naziræis peculiariter erat destinatum,

varia

varia sacrificia, expiationes, lustrationes, charisteria agnis anniculis immaculatis, arietibus, panibus & laganis azymis, oleo exolvenda. Gustatio simul temeti è consecrato aliquo calice, imprimis autem solemnis tonsura; non sanè abludens ab illo Gentilium more, qui ephebis egressi prima capilli resecamina, barbæque lanugines templo alicui, Numini alicui, imprimis Apollini dedicâssent, qui inde κειροτόφος repperit cognomen. Hinc illud apud Petronium: *Cui Deo crinem vovisti, Pharmace, responde?* Hinc illi Martialis versus ad Æsculapium an Apollinem non memini, de eleganti puero primùm tonso:

Hos tibi laudatos dominorum voce capillos
Ille tuus Latia misit ab urbe puer.
Tu juvenile decus serva, ne pulchrior ille
In longa fuerit, quàm breviore coma.

De Nerone testantur Xiphilinus & Suetonius, quòd primam barbam in aurea sphæra pretiosissimis margaritis adornatâ Jovis Capitolini Templo devoverit. Quod interim eatenus à Naziræano ritu abludit, quandoquidem horum detonsi cincin-

cincinni ignibus imponi cremaríque debuerant.

Non itaque me fugit, esse quosdam eruditissimos viros, imprimis nuper *Spencerum* operoso de Ritibus Hebræorum volumine, in ea sententia, ut existiment, universos illos ritus, præcipuè Naziræorum instituta, libamina, tonsuras à Gentilibus, Zabiis, Ægyptiis, quibus adeò etiam Naziræos adscribunt suos, mutuò petita, quasi quadam Dei T.O.M. συγκαταβάσει, qui satis habuerit ea idololatricis nonnullis labibus emaculare, & ad suam unius gloriam deflectere. Id quod negotiosa comparatione verosimile reddere studeant. Viderint; Ego certè id cum memorabili illo oraculo quod legimus Deut. IV. contendere non possum. *Quægens*, inquit Jehova, *usquam reperitur, cui sint statuta & judicia justa sicut est tota hæc lex, quam ego propono vobis?* Nefas igitur meo judicio fuerit, propter unam alteramve fortuitam fortassis convenientiam disciplinæ illius veteris fonticulos in gentilitia quærere uligine. Nihil enim illa usquam habuit, quin selectis Mysteriis, hieroglyphicis, præsagiis, νυξτείαις, si quis penitus

Castigantur, qui Naziræorum ritus à Gentilibus derivant.

Naziræatûs disciplina mysteriis fata-

tus inſpiciat, fuiſſet fætum. Tota, verbi gratia, hæc ſcena ſolvendi Naziræatus voti annon candidatis noſtris varia officia, variasque ſalubres admonitiones rhetoricabatur? Videlicet toti negotio divinæ approbationis ſignaculum & pondus accedere debere, niſi inanis eſſe velit γυμναστικὴ σωματικὴ; In ipſo Naziræatu multa commiſſa, quibus expiatione eſſet opus, ne quis ſtolidum perfectionis & meriti conciperet typhum; Totam vitam quaſi Holocauſtum aliquod divino eſſe conſecrandam amori, rituque anniculæ ovis, puram, innocuam, manſuetam, morigeram, ſimplicem, munificam, ſine fermento, ſine acredine, ſine tumore aut ventoſitate, ſine ſtrepero lapſu, ſine ſupervacaneis cincinnis ullave luxuria. Sacroſanctâ interim libertate mactam & in libertatis authorem Jeſum, qui ſe ipſum Sacrificium, pabulum potabulúmque nobis feciſſet, unicè, velut loxodromiam acum, vergentem?

Naziræos illius nucleus latere non potuit.

Neque exiſtimandum eſt, ex-Naziræos noſtros fuiſſe adeò oviculas, adeò bliteos, aut herbeis oculis præditos, quin hunc ſub duro illo cortice nucleum probè

bè perviderint. Quid enim? An arbitrati sint, id Deum per se valde pensi habere, quô quis potu (quos ipse omnes ab æthere fundit) ætatem irrigaret? quâ Cæsariei structurâ ambularet conspicuus? quid dapis Sacris imponeret focis, è qua cavea, è quo traheret stabulo? Profectò hæc omnia absque exerto Dei præcepto, districta velle habere, aut pro nativis in sese pietatis muniis, ne sani quidem sunt hominis, nedum Sancti, aut Deo his negotiolis probandi. Unde non potest sine sincrusio risu, nec sine detestatione aspici modernorum Cuculligerorum curiosa & furiosa θεραπεία, qui cùm nullam vel umbram vel unciam divini mandati ostendere possint, calvitiis, ciliciis, pseudojejuniis, sonoris crepidis, chameuniis, battologiis, loris aut lumbos cingentibus, aut terga distringentibus, aliisque hujus furfuris infrunitis nugis, quarum tantum est, quantum est muscarum, cùm caletur maximè, sese pro graphicis abstrusioris Sanctimoniæ candidatis venditare, & Deum T. O. M. quasi inexplicabilibus debitis obæratum, ad abacum vocare, ad auctionem (ut Martialis in simili negotio utar phra-

Cucullige-rorum mo-dernorum θεραπεία.

phrasi) in cælo faciendam compellere sustinent. Quæ cùm suamet sese futilitate configant, ecce tamen ab ipsis Naziræis nostris colorem sibi quærunt, Naziræos clamant, ad Naziræos provocant. Εὕρηκα, inquit, Bellarminus, *cui semper centum veniunt ad mulctra chimæræ*, volens tamen videri, se ab Origine & Hieronymo habere assensum; Videlicet Naziræos & Monachos esse quasi geminos Plauti Sosias, neque ex uno puteo similiorem aquam hauriri posse. Quid ais Melicerta? Númnam periit frons de rebus? Quid vos portentorum figuli Poëtæ?

Qui sibi à Naziræis V. T. colorem quærunt.

Junguntúrne jam Gryphes equis? &
Appulis capreæ lupis?

Vestram fidem cucullati fratres, Capitolini Imperii *Janizari* (hoc enim vobis nomen cum Naziræorum nonnihil congermanescens, non invideam) quid tandem ungues miserè rodendo excogitare potuistis, quod sit vobis cum illis Naziræis commune? An institutionis vestræ tabulas tam exertas? Ecce requisivit illa à Naziræorum manibus Deus. Ubi à vestris? Portentum sanè consecutionis: Deus præscripsit Naziræis pios fætósque

tósque Mysteriis quosdam ritus, nulla ullius meriti mentione; Ergo valent Deúmque in æs alienum conjiciunt hominum quorundam planè alia & dispari ætate ἄπτον ἐδόντων injussæ, impiæ, histrionicæ, & phreneticæ nugæ: ô acumen! ô rem ridiculam, Cato, & jocosam! Quam vos amo, quam *pati non possum quin Caput vobis demulceam*, ut ille Syro Chremes, de ista vestra ἀἰχινοίᾳ.

Sed heus, columina populi, Thyrsigeri oculissimi, si vos estis Naziræorum gemelli Menæchmi, cur non itidem, ut illi, Deo vos consecratis potiùs, quàm Francisco, Benedicto, Antonio cheroboſco & similibus? Cur non eadem libertate legitimam quisque gallinam mordetis? Cur non ut Naziræi olim domi apud vestros manetis, vestris manibus, vestro vivitis succo, potiùs quam in myrmecia confluitis & ut mures alienum semper cibum truncatis? Cur eadem non polletis solvendi voti potestate? Quî factum, ut crinitum verticem tam reddatis glabrum, quam ille fuit Æschili, in quo aquila muricem fregit, cum tamen Naziræi luxuriare capillos essent passi? Cur ad illorum ri-

 tum

tum Najadum poculis non operamini? Cur instar illius merobibæ & multibibæ anus apud Comicum, bacchi liquores ita ductim & cupidè in vos invergitis? Quid jam illud esse dicam, quod ad mortuorum, præcipuè ditiorum cadavera vos perpetuas & unico magis unicas hyænas, ne lamias dicam strigésque visamus? Hæccine (ut alia sexcenta prætéream, & aliis post commemoranda relinquam) sunt vestra Naziræatus imitamina? Hæccine examussitata illa παραφιλία; proh Deum, atque Hominum fidem! Ite, ite quæso, fraterrimi fratres, porcum sacrem sincerum vobis emite, & nummo vos piari jubete, nam vos insanire certum est.

Naziræatûs mysteria fatidicum Iesu Christi programma.

Nos A. O. O. H. sagacioribus oculis hæc Naziræatus Mysteria introspiciamus, atque ante omnia velut fatidicum aliquod programma dulcissimi Servatoris nostri Jesu Christi. Hic enim medulla est omnium illorũ corticum, quos tanto cum strepitu coäcervare jussa est vetus Ecclesia. Quemadmodum, (si hac imagine mihi uti liceat,) olim omnia Gentilium Numina, Juppiter, Juno, Venus, Mercurius, Neptunus, Ceres, Hecate, Her-

Hercules, Diana, Apollo &c. nil quicquam aliud in doctiorum Musæis significabant, quàm solem, unicum solúmque solem, & fortè hic apud quosdam unicum illud æternúmque Numen, quod popelli superstitionibus immersi, metu, variis illis commentis circumloquuti sunt: Ita omnibus illis nubilosis & in speciem disparibus V.T. pigmentis unicè solusque subfuit Deus D. & Sospitator noster J. C. *cujus testimonium Spiritus est omnis prophetiæ*, cujusque adventus, labor, mors, resuscitatio omnium illorum auguriorum, prælusionum & promulsidum complementum. In hunc (non in olidos illos Monachos) conjiciamus oculos, veluti verum seriumque Naziræum nostrum, illum ἀφωρισμένον, illum selectissimum Dei, illum ex Myriadibus exsculptum unicum Antesignanum, candidum rubrúmque, formosissimum omnium mortalium, præ quo spinturnicia mera sunt celebrati illi flebilibus Jeremiæ modulis Naziræi: Qui non quidem temporariam illam & umbraticam Naziræorum servaverit disciplinam, sed rem dederit, nucleum exhibuerit, corpus stiterit: Qui intonsum (hoc est, veterum

ſtylo,) oppletum triſtitiis, angoribus, pavoribus, ſervilibúsque tormentis in diriſſimis illis ſuis veſperis noſtro ſe præbuerit bono! qui *hauſtum traxerit de torrente* in via, ac ne in dolorificentiſſimo quidem agone ſuo, inter tot gemitus & proſilientes amariſſimas lacrumas vini meri aliquot guttulis irrigari confortarique potuerit! Qui interim ſic vixerit, ut nullo mortuorum operum, & cadaveroſi hujus mundi contactu contagióve eſſet vel leviſſimè ſtrictus, ſemper ſanctus, ſemper purus, ſemper ἅγιος, ſemper ὅσιος, ſemper ἀμίαντος. Qui denique Naziræatus ſui diſciplinam ſic ſolverit & abſolverit, ut Deo T. O. M. prodiga quaſi manu obtulerit προσφορὰν καὶ θυσίαν εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, & parta ſic ſibíque nobísque libertate (cujus olim apud plerasque gentes *tonſura* monumentum erat) in cæli triumphans Templis plaudentes inter Seraphæorum choros, genimen vitis novum muſteúmque bibat, nobísque indidem eoſdem latices haud parcâ promtet manu, donec propediem ipſius menſæ aſſidui accubuíque, à promulſide ad totam ſatietatem gaudiorum

pro-

promoti, æternum nobis victum dapinatum invadere queamus.

Hunc, inquam, Archi Naziræum noſtrum, ſacrilegium eſt, niſi unicè reſpicimus & deamamus, aut quicquam præ illo formoſum, eximium, electile habemus, vel, ut Apoſtoli utar ore rotundo, *qui Dominum Jeſum non amat* (at non amat qui non amat ſolum) *anathema ſit, Maranatha.*

Imitandum ſacratis Deo inter nos Iuvenibus exemplar.

Cæterùm novimus omnes, vos imprimis ſacrati Deo juvenes, eſſe hic in caſcis illis Naziræis, eſſe imprimis in illo Naziræorum Naziræo D. noſtro Jeſu Chriſto; quod imitari θέμις atque ὅσιον exiſtat. Vos eſtis in his ipſis, ſi non quoad cruſtam externósque ſtrictorum rituum rigores; tamen quoad σκοπὸν καὶ δήλωσιν πνευματικὴν gymnaſiis. Separati, ſi quidem ſapitis, à mundana illa fæce, nonniſi excelſis excelſorum meditationibus addicti, aſtrictíve, flos illibatus populi, ſuadæque medulla, modeſtiæ, temperantiæ, frugalitatis, honeſtatis, puritatis candidati, quos neutiquam deceat

ambulare per tabernas,
latitare per popinas,
calices pati rotundos.

quos, inquam, neutiquam deceat esse (ut cum vetusto illo marmore loquar) *ex Epicureo gaudivigente choro*, ut comicam illam *mammam madere vino*, Homerum illa tantum parte trivisse, ubi Nestoris depingit poculum, non verò ubi Achillis arma, Apitianæ sagacitatis habere palatum, seu propriis seu ascititiis cincinnis, qui *se præbuerint ferro patienter & igni*, turritum struere verticem, malaco & lenonio more exornari, velut ad spectaculum, ut *sponsi magis quàm Clerici* (Hieronymi utor phrasi) videamini, purulenta hominum in peccatis mortuorum tabe infici, & verminosis inquinari sordibus. Neque enim vos omnia decent, ut olim

omnis Aristippum decuit color, & status, & res.

peculiaria & eximia vobis sunt σεμνὰ, εὐπρόσεδρα, ἀνήκοντα, εὐπρεπείαι, quæ vos in oculis habere fas est, & Siculos apatetici mundi cantus effugere remige surdo, more illius Alexandri, qui *non existimavit à se fieri posse, quæ Parmenioni alicui licuissent*: More Nehemiæ, cui non videbatur decorum, ut talis vir pedibus perfugium pareret sibi: More illius apud

Taci-

Tacitum Arruntii, & apud Plutarchum Callicratidis, qui ad actiones parùm generosas invitati & incitati, *negârunt esse eadem decora omnibus, vitam potiùs quàm decorem amittendum viro sapienti esse.*

Christiani omnes Nazirai Dei.

Nos denique omnes, maximi, mediocumi, infimi, togati, stolati, paludati, sagati, seu viridi adhuc, seu versipelli jam capillo, qui Christianorum Reformatorúmve gerimus noménque decúsque, meminerimus esse nos Naziræos Dei, selectum populum, regale Sacerdotium, cæleste peculium, *ad quod redimendum ipse iverit Deus, ut nomen sibi compararet Salvatoris* & Miseratoris in sese ipsum licet immisericordis, quemadmodum his diebus luculentis partim explicationibus, partim succulentis S. Cænæ dapibus propinatum hausúmque meminimus.

Dictus igitur nobis Hylas, *notum nobis factum est quid bonum, quid requirat Jehova à nobis, non nempe, ut mille sistamus arietes, torrentes olei profundamus decies millenos, sed ut exerceamus jus, benignitatem, & modestè ambulemus cum Deo nostro:* Ut veri simus Naziræi, veri abstemii, segrege mortalium genus, in quo

dictis facta suppetant, perierit Circæorum poculorum aviditas, evanuerit vanitatis omne studium, *qui mortuos à commortuis suis componi patiatur*, in quem nihil habeat potestatis infernalis ille Mezentius, qui gaudet

— Mortua conjungere corpora vivis,
Componens manibusque manus atque oribus ora.

In quo *quæcunque sunt vera, quæcunque veneranda, quæcunque justa, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunque boni nominis, si qua virtus, si qua laus est, vivant, vigeant*, & diffusa copiosa ædificationis luce effulgescant!

Hæc nos reddent selectam pubem, veros Naziræos pretiosos, aureos, imò gemmeos in oculis Dei, hæc illam his temporibus in nobis fiduciam & leoninum alent atque roborabunt animum, dum trepidat Roma, dum tremulum vomit lumen malè emuncta illa Lucerna, dum *pavor corripuit hypocritarum* vicinas caulas, dum fraudibus exhausti, vel ipsimet decepti suis Achitopheles irrequietes trahunt noctes & undique ultrices posuere cubilia curæ; Nos Naziræatus cælesti sigillo tuti, impavidos ducemus

mus somnos, securè paterna rura bobus exercebimus nostris, è littore læti videbimus *opera Jehovæ, uti is disponat desolationes in terra. Improbus ille autem videns indignabitur, dentibus suis frendens intabescet, desideriorum Naziræorum seu Janizarorum ejus periturum est.*

„ Ei verò qui potest nos servare à *Epilogus.*
„ peccato immunes, & statuere in con-
„ spectu gloriæ suæ inculpatos cum exul-
„ tatione, soli sapienti Deo, Servatori
„ nostro gloria, & magnificentia, & im-
„ perium, & potestas, & nunc, & in
„ omnes sempiternitates,
Amen!

PRÆLECTIONES
In
II. Cor. XII. 1. seq.
DE
RAPTU ET STIMULO PAULI
habitæ a, 1709. Tig. in Auditorio æstivo.

PRÆLECTIO. I.

Magnifice &c.

NArratio hæc Paulina, ut grandis est momenti, & magni usus, ita difficultatibus non paucis est impedita, & verè δυσνόητος. Causa est rigidum illud modestiæ studium, Paulo nostro adeò eximium, ut si quid de se honorificum dicere cogitur, Difficultatum causa.

gitur, tergiversationibus, circuitionibus, excusationibus, deprecationibus, conciſitate & obſcuritate quaſi inumbret: `E contra, ſi quid coram mundo inglorium, fortitudine expreſſionum efficiat, ut ſubinde abjectius prima fronte videatur, quàm verò re ipſa eſt.

Unde non poſſum ſatis mirari, fuiſſe, teſte *Bullingero*, qui Apoſtolum noſtrum in hac epiſtola circa ſuas laudes *penè nimium* fuiſſe exiſtimaverint. Quiqui fuerint, aut adhuc ſint hi Catones, vereor ego ut milleſimam partem, in milleſimæ neceſſitatis caſu, tam verecundè, tam modicè, imò tam (ſi ita loqui fas eſt) negligentem periclitanti exiſtimationi ſuæ ſubventuri eſſent. Obviæ ſunt quorundum *ſequioris ævi Paulorum* apologiæ, vitæ autographæ, abſterſiones, epiſtolæ & ſimiles, ficta aut nulla neceſſitate excluſi partus, in quibus nullam quidem videas ὑπερβολὴν in Viſionibus, magnam verò in laudibus propriis; contra quàm Paulus habet.

Si itaque Paulus talem ſe in hac materiâ geſſit, non ideò nobis, qui Paulum, diviniſſimum, & ſaluberrimum præceptorem pro tanta animis noſtris inſtillata fruge, meritò veneramur & exoſculamur, nefas eſt, quæ ille conciſiùs & demiſſiùs de ſe dixit, ſigillatiùs ad gloriam Dei primùm, dein ad elogium aliquod ſelectiſſimi hujus Dei organi excutere.

Videmur autem nobis rectè ordinéque facturi, ſi totius narrationis

A,

A. Occasiones & causas,
B. Tempus rei gestæ ac narratæ, } hæc quidem breviter,

C. Ipsam narrationem fusiùs simus excussuri.

Occasio narrationis.

I. Scripserat Apostolus ad *Corinthios*, & in fidei & in morum negotio varios abusus grassari passos, Epistolam priorem paulò severiùs, quàm urbanæ illæ & holosericæ aures pati possent. Unde murmura, fastidia passim non obscura. Aderant mox, ut fit, ungues in hoc ulcere habituri Pseudapostoli, Pauli æmuli, imò dissimulanter hostes acerrimi, pulchram se occasionem nactos rati, ut *exacerbata simultate perderent, quem similitudine assequi non poterant*, atque ita sacrorum, quæ in *cauponationem & monopolium* converterant, arbitrium penes se solos esset. Licet nobis fingere, & velut animo nostro repræsentare, quàm industriè domos circuierint, δεισιδαιμονεστέρας ex simplicioribus præcipuè, & mulierculas exoletas (fortè tamen & *juvenculas*) peccatis onustas, potentium Maritorum stimulatrices captârint, ingemiscendo & dicendo: Eheu! legistis (audivistisne) illam *Cilicis* debacchationem? Num tandem nostis hominem? Num vates fuimus, quando in aurem vobis diximus, *Cilicem* istum omnia susque deque versurum, si credulos nancisceatur? Quæ hæc enim est scribendi imperiositas? Quæ crudelitas adversus patricios viros humani quid passos? Quæ tyrannidis sibi vindicandæ impotens libido? Quæ interim hy-

Pseudapostolorum artes contra Paulum.

hypocrisis in salariorum abstinentia? Quæ in promissis & denunciatis inconstantia? Jam quis sanus accredat, fideliter & purè hunc *Cilicem* Verbum Dei tractare? Certè id non portendunt *citationes ex Poëtis comicis* epistolæ ejus asperſæ, c. XV. non ita judicant, qui eum carceribus, plagis, exiliis passim compescere coacti sunt, aut quorum justam indignationem turpi fuga vix elapsus, hinc inde incertis sedibus vagari cogitur. Et quis tandem est, qui sibi tot & tanta arrogat? Quod genus? unde domo? *Cilix*, unum ex infamibus illis tribus κάπηλα, *sellularius artifex*, obscurus, immemorabilis, infamis suis olim grassationibus, quas nunc alio colore & modo longè periculosiùs exercere cupit. Cavete probi, cavete (in aurem, conscientiâ cogente, dicimus) λύκῳ ἄγεσθε ὑμᾶς διώκει. Viridi latet anguis in herbâ; Si valebit hujus authoritas, οἴχεται orthodoxia, οἴχεται pietatis & θεολαπρείας à nobis propugnata majestas. Actum est de sentiendi & conversandi libertate, tyrannicis excommunicationibus omnia turbabuntur, &c. Vos videritis, nos lavimus manus nostras.

Hæc enim, aut sanè simillima dicteria, in Paulum fuisse jactata, & à non paucis, qui τὸ βάθη τῆ σατανᾶ habuêre imperspecta, nimis credulè, ut fit, admissa, deinceps in materiam urgentissimæ sollicitudinis conversa, facilè illi liquet, qui responsiones Pauli per hanc posteriorem epistolam sparsas attentiùs consideraverit.

Fuit

Fuit itaque Paulus in eo satis felix, quòd ejusmodi susurri (licet sine dubio multis obtestationibus, man sol drum bey Leib niemand vermähren/ *esse piam sollicitudinem, cum feroci hoc homine non quæri lites*, muniti,) ad aures & notitiam Pauli pervenerint, ut tempestivè hanc *spongiam* adornare ipsi licuerit. Quod sine dubio ita divina direxit providentia, ne hoc κειμηλίῳ tam suavi, támque salubri careremus. Paulo proditæ.

Dicat hîc fortè Pontificius aliquis Papæ arrisor, & sacræ scripturæ arrosor: Ergò *fortuitis occasionibus* conscripti sunt libri Biblici, non igitur grande authoritatis momentum habituri. Respondeo. Futilissimè homines, qui providentiam divinam agnoscere videri volunt, fortuitas occasiones comminisci. Et profectò, si eorum sensu stylóque loqui velimus, quid impedit quin itidem dicamus, Petrum fortuitâ occasione Papam (si Diis placet) constitutum, concilium primum & reliqua ad unum omnia fortuitis occasionibus esse collecta, Papas omnes fortuita occasione esse conceptos, natos, & promotos, oraculis eorum omnibus fortuitas occasiones obstetricâsse? Sed hoc ἐν παρόδῳ, à Theologis tractatum & tractandum. An hæc occasio fortuita.

Quid ergò Paulus? Limoso torrenti egregiè vadum opponit, posteriori hac ad Corinthios scriptione apologeticâ, sic satis expeditè superiorem insecuta. In qua mihi duo inprimis agere videtur. Quomodo Paulus in hoc negotio sese gerat?

Primum: Ἀλμυρὰν ἀκοὴν ἀποκλύζει πόλ-
μῳ

μὲ λόγῳ, *Marinam auditionem fluviatili abluit sermone*; (ut Platonis utar proverbio:) Emollit; edulcat, imò humaniter deprecatur, quæ superiori scriptione amariùs & duriùs poterat dixisse videri, relaxat etiam severiorem de *inæstuoso* sententiam, auditâ ejus resipiscentiâ, sic tamen, ut exultanter commonstret egregios quosdam suæ *severitudinis fructus*, præsertim Cap. VII. neque diffiteatur, se ea porrò usurum, licèt invitum, si nodus porrò incidat vindice dignus. Cap. XIII. Hactenus autem inter hæc omnia merum est mel, mera suavitas, *blanda nutrix* (1. Thess. II. 8.) odis, osculis, & oscillatione iratum infantem demulcens.

Deinde non negligit suas contra contemtorum & sycophantarum rabiem vindicias, præsertim quòd è re esse videret & de necessitate feliciùs successuræ ædificationis, scire bonos illos Corinthios, à subdolis illis stimulatoribus ad contemtum sui pellectos, aut propria quadam simplicitate ad circumspicienda quædam *extrinseca* proclinatos, scire, inquam, illos, nil sibi horum deesse, imò ubertim affluere, siquidem stolidò rivalium more, fimbrias suas extendere vellet. Hanc verò rem ita gerit, ut sanè dicat aliqua, sed dicat per modum inviti, stoliditatis (non sine obliquo morsu æmulorum) mox, & perpetuò se ipsum postulet, mirè tergiversetur, plerunque ea eligat, & captet, & fusiùs traloquatur, quæ in contemtum aut jam torta, aut torqueri posse videbantur, tamen & horum mentionem, velut extortam excusset,

set, verbô, inusitatam & inauditam modestiam, potiùs quàm justissima πεωτεία pandat, & nobis proponat hominem *munus* ante omnia suum curantem, nil verò. an ἀφημίας, ἢ δυφημίας inde compos futurus?

Inter autem hæcce omnia undique spargit saluberrimas fidei & pietatis doctrinas, monitiones, constitutiones &c.

Possemus ex his salubria quædam corollaria deducere. Verùm ea aut sponte perspicaciorum subeunt animos, aut in textus ipsius tractatione locum reperient. Pergamus itaque ad

II. Disquisitionem temporis rei tum gestæ, tum narratæ, brevissimam. Noster dicit, contigisse hæc, quæ hîc narrat πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων, *ante annos 14. à dato* hujus epistolæ. Annum datæ epistolæ nusquam ascribit, quod nec cuiquam veterum moris fuit, ut pridem sciunt antiquitatis periti. Divinationibus & petitis ex historia Pauli, præcipuè Lucæ actis, computationibus variè varii rem exsculpere aggressi sunt. Quo tempore hæc gesta, aut narrata?

Plerique *Pontificiorum*, nonnullos Veterum secuti, referunt hunc Pauli raptum ad conversionem ejus, & factum esse dicunt in illo triduo, quo Damasci cæcus adhuc & jejunus delituit. Hanc conjecturam ut sustentare queant, conversionem Pauli, invitis omnibus circumstantiis, ponunt demum in annum ab ascensione Christi Septimum, à nativitate 41. ut ita scripta esset posterior ad Corinthios anno Christi 55. Pontificiorum sententia.

Alstedii. Eundem annum assignat *Alstedius*, sic tamen, ut conversionem Pauli cum plerisque aliis retineat intra annum Christi 34. & raptum hunc septennio post conversionem ponat.

Sueur. *Mr. Sueur* conversionem Pauli ipsúmque raptum, quem quoque triduo illo factum autumat, ponit in annum Christi 39. Scriptionem autem epistolæ nostræ in annum 54. quæ distantia foret non 14. sed quindecim annorum: Fortè quia Paulus supernumerarios menses neglexerit (quod & *Ligtfotus* observat) ut ita in quintumdecimum annum historia excurrerit, sed nondum absolutum, quod utcunque ferri potest. Cæterum illa hypothesis de raptu Pauli Damasci statim jejuno illo triduo facto, præter alias incommoditates, quas docti magno numero congerunt, etiam hanc patitur, quòd *Pauli corpus* disertè narretur fuisse *Damasci*, & quidem *in domo quadam*, manifestè observatum nil capere cibi, & cæcum. Id quod malè quadraret verbis Pauli; *Nescio, an in corpore, an extra corpus*, scil. *raptus fuerim in Paradisum*. Vix enim nescius esse poterat, si gnari domestici, si gnarus postea Lucas. Et de *Luca* quidem, qui longè post Acta scripsit, regeri posset, per revelationem id eum resciisse: Sed domestici observarunt cæcitatem, *cibum attulerunt, renuentem viderunt*; Quomodo ergò ex ipsis non resciverit Paulus corpus suum remansisse? Necessariò igitur aliò est eundum.

Marollii. *Marollius* conversionem Pauli refert ad annum Christi 35. Raptum novennio pòst ad annum

num 44. Hactenus tolerabiliter; Sed quòd deinceps scriptionem Epistolæ producit ad annum Christi 60. illud verò non æquè tolerabile, sic enim ex interstitio annorum 14. facit 16. Qui pudendus in Viro, quantumvis solerti, est lapsus.

Cæterùm itidem ad annum Christi 60. scriptionem Epistolæ protrahit Clariss. Heideggerus ὁ μακαρίτης in aureo illo suo Enchiridio Biblico, sic tamen, ut alibi aliter videatur sentire, & saltem ἀληθονισμὸν illum Marollianum nuspiam committat, & omnia ad debitam proportionem examussitet. Heideggeri.

Nemo autem quod sciam, fusiùs hanc quæstionem tractavit, quàm diligentissimus ille *Ligtfotus*, Comment. in Acta, p. 789. & seq. quem compilare nolumus, sed summatim tantum sententiam ejus indigetare. Statuit itaque Ascensionem Christi factam, anno à nativitate 33. Tiberii 18. Sequenti anno Paulum conversum. Raptum Pauli refert ad annum Christi 43. Claudii 2. Demum scriptionem hujus Epistolæ ad annum Christi 57. Neronis 2. Quam chronotaxin fusè demonstrare conatur. Eum videat, qui volet. Est autem cum nonnullis aliis in ea hypothesi; hunc raptum indigetari nobis Act. XXII. 17. ubi Paulus ipse inducitur referens, *se reversum Hierosolymas, & precantem in templo habuisse estasin, & vidisse Christum dicentem sibi: Propera, & statim Hierosolymas egredere*, scil. ad Gentes. Quod quidem prima fronte satis plausibile adparet, verùm Ligtfoti.

nescio, an non ea ipsa prematur difficultate, quam antea observavimus. Nempe Paulus negat se scire, num *cum corpore*, an *sine corpore* hæc illi, ad Corinthios memorata ὀπτασία contigerit? At quæ Hierosolymis gesta recensentur, per omnia certam sapiunt ecstasin sine corpore, quippe Hierosolymis gesta, velut in termino à quo excurrendum esset ad gentes, imò in ipso templo. Præterea in ea visione non audivit ἄῤῥητα ῥήματα; utique enim refert, quid audiverit v. 18. & 21. Hanc tamen sententiam etiam, si bene memini, dudum antea aluit Doctiss. *Gualterus* noster, in hunc Actorum locum homiliâ. Visant, quibus ad manum est.

Gualterique.

Mihi, ut verum fatear, omne tulit punctum magnus ille *Bullingerus* noster, Comment. in h. l. Is annum certum assignare non audet, multò minus certam hujus raptus mentionem in Actis agnoscere. Sufficit illi observâsse & solidè demonstrâsse, Macedoniam, unde hæc scripta est Epistola, non potuisse à Paulo adiri, nisi tali tempore, à quo retrò subducti 14. anni, relinquant nobis Paulum circiter decennio jam antè conversum, id quod & nobis sufficere potest.

Bullingeri.

Hæc autem circumstantia, uti per se non est immemorabilis, ita non caret fruge ad historiam hanc illustrandam, atque utiliorem reddendam.

Primò enim valde gravat eorum sententiam, qui per subsequum illum furculum in carne, nescio quem æstum juvenilem intellectum

Utilitates sciendi temporis.

tum vellent, de quibus suo loco agetur.

Deinde hinc liquet, non contigisse hanc ecstasin Paulo eum in finem, ut Evangelii per orbem præconiandi articulos, seu, ut loquuntur, *suam Theologiam*, addisceret, quod tamen alioqui satis patet ex versu 4. ubi negat in tertio cælo actum esse *de prædicabilibus*. Itaque causam, finémque hujus raptus fuisse, ut Apostolus laboribus & periculis & adversis jam acriter exercitatus, corroboraretur, & permulceretur gustu illius gloriæ, ad quam per tot salebras decurreret. Sicut & Christus in decursu jam laborum glorificatus est, in monte quem *Thaborem* traditio vocat.

3ò. Et cùm iste raptus nostro computo in ea, aut haud multò post ea incidat tempora, quibus Gentilium conversio Apostolo demandata erat, dignum sanè est observatu, quantis curis, quanta magnificentiâ, quanto apparatu Deus nova istius Ecclesiæ auspicia & fundamenta jecerit. Sanè nec Petrum ad Corneliæ saltem familiæ conversionem emisit, nisi singulari priùs visione quasi irradiatum: Fortè nonnihil tale & reliquis Apostolis est factum, licèt fere taceat Scriptura. Cæterùm resultat hinc elegans inter V. & Novæ Ecclesiæ primordia paralleliſmus. Moses, cùm olim ad illam illa Verba afferre debuisset: *Ego sum Jehova Deus tuus*, priùs familiarissima cum Deo T. O. M. qui se *quasi cum cælo in Montem Sinai* demisit, habuit commercia, à quibus cum tabulis fœderis redux simul inusitatum attulit

faciei ſplendorem, quem velamine tegi oportuit. Paulus cùm ea ipſa Verba: *Ego ſum Jehova, Deus tuus*, afferre debet ad *Gentes*, rapitur in ipſum cælum, unde redux fit cum ſimili velamine: *Inenarrabilia* enim vocat viſa ſua, & quæ ab homine explicari ſit nefas. verſ. 4. Ecce *velamen!*

Quartò: Hic Pauli raptus quatenus in medio laborum curſu ipſi obtigit, egregiè nobis delineat ſapientiſſimam illam Dei Oeconomiam in gubernandis tum fidelibus ſuis univerſim, tum maximè ſelectioribus Evangelii adminiſtris. Vocat eos, exercet, macerat duris gymnaſiis, ne verò collabaſcant, adhibet remedia, non rarò extraordinaria, quaſi luculentam guſtationem vires feſſas refecturam, hæc autem remedia opus habent *contrariis rurſus remediis*, retinaculis nempe acribus, ne ferociant, & hæc iterum diluuntur quaſi ſaccharo quodam, cùm jubentur *gratiâ divinâ* (videlicet de novo confirmatâ) *acquieſcere* &c. Id quod eò facit, ut

Nemo deſperet meliora lapſis
Nemo confidat nimium ſecundis.

Hoc pacto tandem de Paulo aliquo, & quocunque ſelectiori Dei miniſtro dici poteſt, quod *Lucanus* alicubi de Heroe ſuo dixit:

——————— *Omnia paſſus*
Quæ pejor fortuna tulit, ac omnibus uſus
Quæ melior.

Pergitur ad narrationem ipſam.

III. Verùm his omiſſis, veniamus ad narrationem ipſam, quæ habet hiſtoriam raptus, & hiſtoriam ſtimuli, interſertis nonnunquam Pauli modeſtiæ ſpeciminibus. Sic

Sic incipit noster: Καυχᾶσθαι δὴ οὐ συμφέρει μοι, ἐλεύσομαι γὰρ εἰς ὀπτασίας καὶ ἀποκαλύψεις κυρίου. Ad verbum. *Gloriari sanè, vel itaque, mihi non expedit, veniam enim ad visiones & revelationes Domini.* *Vulgatus* sic: *Si gloriari oportet:* δεῖ pro δὴ legens; Sed bene *Erasmus* monet, debere tum interrogativè verti, ut *Ambrosius* fecit: *Gloriarine oportet? Theophyl.* pro δὴ habet δὲ, *autem.* Quidam etiam pro μοι, *mihi*, μὲν *quidem*, nos in recepta lectione manebimus.

Difficultas in verborum ordine.

Prima fronte videntur hæc Apostoli verba sese mutuò evertere Agnoscere enim gloriationis inutilitatem aut damna, & mox lectorem ad ὀπτασίας suas trahere, idque sub promissione ostendendæ *causæ* (γὰρ, *enim*) *causæ*, inquam, cur gloriatio non expediat, contrariam planè speciem habent.

Variæ sententiæ.

Fuêre qui connecterent præcedentem narrationem (de frustrato Damasci præfecto) cum his verbis; *Gloriari itaque non expedit mihi*; & sequentia novæ darent periodo. Quasi Apostolus negaret hactenus feliciter succesisse suas gloriationes, utpote quia *nihil esset gloriæ in furtiva fuga & mortis evitatione*, jam igitur velle ad solidiora venire &c. Hanc Sententiam etiam *Bullingerus* amplectitur, ita tamen, ut illam concessionem οὐ συμφέρει, nonnihil *ironiæ* redolere putet. Verùm neutra hæc affectatio Paulo satis digna, aut reliquis protestationibus ejus satis consona videtur. Præterea conjunctio γὰρ non potest verti illativè ergò, igitur, &c. Sed præcedentium promittit

Bullingeri.

causam. Obduci fortè posset locus Marci. XV. 14. τὶ γὰρ κακὸν ἐποίησε; Sed nemo paulò attentior non videt, efficacissimè illum sic verti: *Quid enim malè fecit?* Causam, causam tantæ insectationis expedite!

Grotii. *Grotius* & *Coccejus* eodem penè modo hæc Verba Apostoli accipiunt. Eorum sensum, non verba afferam, nempe *illius* hæc circiter esset paraphrasis: *Exultare mihi non expedit, nam non possem non etiam venire ad visiones meas, si gestiendi quærerem materiam, at eò non libenter devenio.* &c.

Coccejii. Istius hæc: *Valde mihi accidit incommodum, quòd gloriari cogor, nempe quia non possum præterire, quod præterire maluissem, Visiones meas.*

Erasmi. Ante utrunque hunc jam Erasmus agnovit, Visionum Thema Apostolo causam esse, cur gloriationes averşaretur, & incommodas sibi putet. Horum omnium ipsa verba videat, qui volet s. l. Interim *Grotius* haud facilè rationem redditurus sit, cur vocem Ἐλεύσομαι, veniam, potentiali modo exposuerit, quod nec ipsa patitur vox, nec actio immediatè sequens.

Aliorum. &c. Sunt qui existiment, id voluisse Apostolum: Non sibi conducere gloriationes de iis, quæ, vi præcedentis narrationis, *ipse gessisset*, aut tolerâsset, (quia typhum facilè olerent) ideóque velle venire ad ea, quæ *Dominus circa se fecisset* & gessisset, quæ gloriatio nil habitura sit periculi, utpote omni laude Domino transcriptâ. *Grotio* & hæc explicatio non displicuisse videtur; Illustrat enim orationem Paulinam dicto Ovidii:

Quæ

——————— *Quæ non fecimus ipsi,*
Vix ea nostra puto.

Speciosiùs fortè, quàm solidiùs. Nam profectò clarum est, & præcedentium gloriam unicè Paulum Deo, suo perenni more, transcripsisse & transcriptam voluisse. Annon enim vult dissimillimus videri iis, qui *se ipsos celebrant?* Cap. X. 12. Annon protestatur, se omnia coercere ad μέτρον τῦ κανόνος, *mensuram normæ, quâ ipsum Deus commensus esset?* V. 13. Et cui non dictum illud: *Plus laboravi — verùm non ego, sed gratia divina?* Præterea frustra est suspicari, à visionibus divinitùs indultis levius esse titillationis & ostentationis periculum. Legantur quæ sequuntur vers. 7. de scolope Pauli, & ejus fine. Visatur illud *cothurnatoris Bileami* exemplum Num. XXIV. 3. 4. quod exemplum non ideò minus est ad rhombum, si quis eum *Verum prophetam* facere scit.

Tandem & huic explicationi in mora est illud γὰρ quod rursus illativum esse deberet, nec potest.

Nostrum tentamen.

Quid nunc, si quis hactenus allatis & collatis conjecturis frui volens, hanc fabricaret orationis Paulinæ paraphrasin? *Profectò, ô Corinthii, gloriatio, quam mihi extorsistis, mihi valde est ingrata & molesta: Nam ducit me ad materiam, quam sine dolore recordari non possum, & ex qua ipsi perspicere possitis, quantopere ab omni typho & ostentatione abhorrere debeam: Videlicet ad ὑπερβολὰς quidem meas excellentissimas, sed maximè ad subsecutam & injectam mox mihi tristem fibulam, ne efferar, aut quicquam aliud deinceps, quàm in-*

firmitates meas celebrem.

Hoc sensu verba Pauli planissima & simul significantissima fore non dubito. Relinquo etiam annon ad scopum rectiùs factura? præsertim autem si post verba: *Gloriari sanè non expedit mihi*, ponatur parenthesis, & post verba: *Veniam enim ad visiones & revelationes Domini*, claudatur, & pergat oratio: *Novi hominem*: &c.

Tandem & hoc addi potest, visi nonnunquam illam particulam δὴ apud Authores Græcos significare idem quod ἤδη, *mox, jam*: Unde Aristophanes in Pluto suo elegantissimè: καὶ δὴ βαδίζω, *Et jam abeo*, & in Avibus: καὶ δὴ τοίνυν πρῶτα διδάσκω, ut alios taceam. Hanc significationem si hîc toleres, vide & expende oratio Pauli quæ futura esset: *Gloriari, quod mox, vel jamjam cogor, mihi non expedit, venturus enim sum ad ὀπτασίας, earúmque acerba consequa.* Nihil possit aptius videri.

Prælata tamen versio Lutheri & nostra.

Qualia autem cunque hæc sint, nihil tamen videtur excogitari posse facilius, simplicius, & orationi continuæ scopóque ipsi accommodatius, quàm Lutheri, & ex ea nostratium versio: Es ist mir zwar das Rühmen kein nüz/doch wil ich auf die Gesicht und Offenbahrungen des Herzen kommen. Sic enim habemus venustissimum *introitum*, & *propositionem* rei postea narrandæ. Quasi *Ciceronem* audiremus, cui familiare, ab illo ETSI, orationem auspicari, aut primis vocibus illud QUIDEM interspergere.

Fateor equidem, me libenter inventurum

rum fuisse exempla, in quibus particula δή *quidem, equidem, etsi*: Particula γὰρ, *tamen, attamen, nihilominus* significarent, nec hactenus potuisse. *Devarius* quoque, *Vigerus*, & *Suizerus* diligentissimi de particulis & Idiotismis Græcis scriptores nondum reperisse videntur. Hoc in genere scio ejusmodi conjunctiones non sine elegantiæ structura, quodam permutationis jure, alienas asciscere significationes, aut venustè παρέλκειν. Qui *Aristophanem*, aut *Sarsinatem* degustavit, centies id de illo γὰρ vel *enim* observare potuit. Sed de his nimis.

Gloriari sanè mihi non expedit) De gloriandi, seu vel directè vel obliquè se suáque exaltandi prurigine, quæ, teste Tacito, *novissima exuitur*, ejúsque utilitatibus, & pseudoutilitatibus forsitan aliquid in decursu tractationis nostræ afferemus: Nunc paucis adhùc.

Visiones Pauli.

Veniemus ad visiones, & revelationes Domini nostro factas. Observat Bullingerus, *sine dubio pseudapostolos de revelationibus sibi peculiariter factis gloriari solitos: Id enim vel hodie maximos quosque impostores solere.* Optimè. Certum enim est, nunquam Paulum hæc memoraturum fuisse, nisi illi sibi mendaciter similia quædam sumsissent. Persequitur enim eos nonnisi illorum vestigiis & armis. Unde in aliis Epistolis, quando specialis hæc necessitas abest, ne gry quidem hac de re, etsi nonnunquam commodè fieri potuisset, aspergit. Cúmque ὀπαδίας quamplurimas (non omissas Lucæ in Actis) afferre *potuisset*, & quemadmodum præcedenti

Temperantia ejus in illis recensendis.

cedenti capite numerat *verbera* quæ recepit quinquies undequadraginta, *naufragia, virgidemias* suas &c. ita facilè hîc spectabili numero revelationes suas promere potuisset; tamen una recensenda contentus est. Alibi & hanc, ut dixi, præterit, & solummodò primæ suæ vocationis cæleste auspicium, quod testibus abundè probari poterat, & ratione officii sui sciri necessarium erat, percenset pseudapostolis & agyrtis ejusmodi buccinationes lubenter relinquens. Nec enim fidei nostræ certitudo nititur ejusmodi historiis, sed λόγῳ προφητικῷ etiam verissimis βεβαιοτέρῳ. Olim certè in V.T. pseudoprophetæ, Bileam &c. de ejusmodi visionibus loquaciores fuêre, quàm ipsi veri. In Ecclesia primitiva vix ulla pestis exorta est sine obtentu talium visionum. Et qua aliâ via Alastor ille Mahomed scelestas suas nugas invexit? Jam regnum Antichristi quid aliud est quàm quidam *Amadisus* ejusmodi πεφάτων ψεύδος; Percurrat aliquis *Legendas aureas, il Don Razzi* & similes libros, & *pelvim non poscat*, si potest?

Gloriationes multæ de visionib. sunt suspectæ & agyrtis in usu.

Hos igitur mendaciloquides, & nugivendos, non autem Paulum (ut videri volunt) imitantur nostri temporis *Enthusiastæ, Quietistæ, mystici, ecstatici, adepti, theosophi, sophiophili* &c. qui si credere fas est, cum sycophanta illo comico, *quoties volunt. horiolâ vehuntur in cælum*, & superos oblectant, indéque redeunt corbitati revelationibus & commissionibus ad nos reliquos, miserabile vulgus. Factum bene. Sed tamen nonnihil interest inter Paulum & illos;

Pau-

Paulus suas ὀπτασίας aut reticet, aut nonnisi extrema necessitate invitus & pudibundus breviter & quasi dissimulanter refert: Certè hanc totos 14. annos reticuit, ut rectè observat *Theophylactus*. Illi citra omnem necessitatem cum magno sanorum fastidio, syderationum & ecstasium suarum rumoribus omnia fastuosè replent, etiam libros. Væ tibi, si in ejusmodi narratorem aut tinnulum incidis. *Miserè cupis abire, nil agis,*

Nil iis patrocinatur Pauli exemplum.

Paulus audivit & vidit *imprædicabilia*, quæ nemini fas eloqui. Illi contra & possunt & properant propalare omnia, ut per eos non stet, quò minùs superorum stylum & consilia jam compertiora penè habeamus, quàm hominum.

Paulus præ visionibus suis nuspiam S. Scripturam deprimit & extenuat, sed potiùs vel angelum de cælo fulminat, qui præter *eam* (aliter enim locus Gal. I. intelligi non potest) evangelizaret, & sparsim accuratissimis elogiis eam nobis planè necessariam & unicam fidei normam commendat. Contrà illi magno supercilio S. Scripturam despiciunt, tanquam lac puerorum, literam mortuam (horreo alia eorum referre dicteria) solísque afflatibus vivere & vivi volunt, ut rore cicadæ. Sic tamen, ut, si quid coloris eorum deliriis opus est, libenter à Scriptura emendicarent, si possent.

Illud verò maximum est, quòd Paulus *verè & certò* raptus est in 3. cælum, visionésque alias habuit planè & sine omni dubio divinas: Nam

Nam Θεοπνεύστως, non, inquam, à *Comenio* &c. aliquo, sed à Spiritu S. sunt consignatæ. Unde etiam ritè faciunt ad multiplicem nostram ædificationem in pietate, tanquam aliqua pars V. D. At hæc omnia non perinde se habent apud illos. *Nos* enim securè scire non possumus, facta an ficta sint, quæ nobis occinuntur, nullæ hîc sunt canonicæ tabulæ, sed potiùs suspicionibus omnia plena. Sed fac hos homines verè gesta, veraciter narrare: Rursus nescimus, quid illud sit quod eos toties extra se rapit, Deus, an atra bilis? An flos vini veteris? An (apud femellas) morbus hystericus? An quid etiam aliud? Sunt enim in mundo multæ ludificationes, multæque præstigiæ, ut ipsimet optimè sciunt, atque multoties erubescerent, si possent. Nescimus pariter, quorsum subinde extra sese proficiscantur, an in Paradisum, an verò *nel paese de cucagnia?* Nam referunt sæpe quædam mirabilia chymica, vel cacochymica, quæ paradisum non admodum olent, & puriora esse possent. Insuper ejusmodi visiunculæ perexiguum hactenus Ecclesiæ fructum (de *spirituali fructu* loquor) multum verò excitavêre molesti pulveris, multum etiam irrisionis, ob cælestia quædam illorum oracula per contrarium impleta, ut alia taceam.

Tandem Paulo prospectum statim est, ne ex visionibus & revelationibus siniſtrum caperet fructum, scil. *superbiam.* At illis nondum prospectum est, nondum accepêre *Scolopen* suum

ſuum, potiùs revelationibus ſuis, ut ille in paræmia, ſubligaculo ſuperbiunt, ſoli perfecti, illuminati, *ſpirituales*, *ſal & lux terræ* & neſcio quid eſſe volunt, nemo præ illis dignus eſt qui figat palum in pariete.

Viſio & revelatio quid differant?

Forſitan propediem implebitur quod eſt Zach. 13: 4. *Eo tempore* (inquit Dominus) *Propheta quisque à ſua viſione, quam vaticinio prodidit, pudefiet, & dicet: Non ſum propheta, ſed ſum ruſticus.* Sed præſtat ad Paulum redire.

Ὀπτασίας ille memorat & ἀποκαλύψεις. Videndum, quid ſint, quid differant? Illa, ni fallor, eſt unus ex modis, quibus Deus frequenter olim, rarò hodie, ſolebat ſe patefacere hominibus, ſenſus & mentes eorum afficiens certis quibusdam objectis externis, ac ſenſilibus ſpeciebus, per quas de voluntate ejus, vel de rebus occultis erudirentur, aut etiam (quod huc facit) in officio roborarentur. Ἀποκάλυψις eſt vel ordinaria, quæ v. g. contingit piis inter legendum & audiendum Verbum D. De qua (non de alia) Phil. III. 15. 1 Cor. XIV. 30. Quando nempe piis ſic occupatis mentem Deus reſerat, ut S. Scripturæ non ſtringant ſuperficiem & cutem tantùm, ſed & abditas medullas pernoſcant, & ad ædificationem proloqui poſſint. Alia eſt *extraordinaria* (de qua hîc agitur) quæ βαθυτερὸν τι τῶν ὁρωμένων ἀπογυμνοῖ, *altius quiddam, quàm quod videtur, denudat*, ut Theophyl. loquitur, ſeu, ut non ineptè Grotius, inuſitatus *afflatus*, aut *lux*, quâ *mens perfunditur*.

Rurſus obſervata Pauli verecundia.

Si hæc Paulinæ narrationi applicare velimus,

mus, obſervandum, Paulum quidem πληθυντικῶς *plurali numero* hæc promittere, ſed, pro modeſtia ſua, unico ſed *bimembri* exemplo, contentum eſſe. Nempe *raptu* ſuo, tanquam ἐπιβάσει, & *confirmatione gratiæ divinæ*, quæ ei ſufficere deberet, tanquam ὑποκαλύψει, adeóque plus gloriæ in hac ponere, quàm in illa: Ἡδίστα, *lubentiſſimè*, inquit, in hac gloriabor. v. 9. Id quod etiam orationis ſuæ artificioſiſſimi flexu ſatis comprobat: Non enim dicit. *Ad viſiones meas veniam*, ſed ſimpliciter; *ad viſiones*, nec mox: *Ego raptus ſum*: Sed: *Scio hominem*, qui raptus eſt. Hac ſcena utitur, donec ad alteram perveniat partem, glorioſulæ titillationis minùs ſuſpectam, ubi levato velo; *datus eſt mihi*, inquit, σκόλοψ, *me tundit Angelus Satan*, *dixit mihi Dominus*: *Sufficiat tibi* gratia mea &c. quæ ſuo tempore Ξ. Θ. videbimus.

PRÆLECTIO II.

Magnifice &c.

Homo raptus, quis?

HAbuimus *propoſitionem*. Sequitur *res*; ubi habemus 1. Hominem. 2. Raptum. 3. In tertium cælum & Paradiſum. 4. Ἀυτήκοον inexplicabilium dictorum.

A. Οἶδα ἄνθρωπον ἐν Χριστῷ, v. 2. *Novi hominem &c.* omiſſo articulo, quaſi quò magis ſeſe obnubat. Nec enim, niſi fortè *unum*, vidi, qui

qui dubitet, quin de se Apostolus loquatur. Certè *Theophylacto* id tam fuit certum, ut ausus fuerit ad vers. 5. Paulum interrogare, καὶ τοι τινός ἕνεκεν, εἰ ἄλλος ἡρπάγη σὺ καυχᾷ; q. d. facturos illos Paulum absurdum & phreneticum, qui aliter sentirent, imò ipsos potiùs insanituros. Est a. oratio hæc mirifica, quasi trepidantis, tergiversantis, verecundantis, & non ab omnibus intelligi studentis. Verè enim & seriò se & sua hæc abscondita vellet, non ut illa apud Poëtam, quæ *fugit ad salices, sed se cupit ante videri.* Possem exempla converrere & demonstrare, variis in linguis obtinere hunc loquendi modum, & elegantiæ aliquam habere faciem. Certè huc pertinet, quando Hebræi aliíque Orientales omnes, inprimis etiam Æthiopes (exempla Ludolfus suppeditaret) dicunt:

Servus tuus, pro *ego*
Servo tuo pro *mihi*
Servum tuum pro *me*
Servi tui, pro *nos &c.*

Phrasis Pauli quàmlatè usitata?

Pari modo Servator toties: *Filius hominis*, pro *Ego*. David in Psalmis: *Rex* pro *Ego*. Grotius citat ex Senecæ controversiis aliquem qui dixit: *Scio quendam in hac civitate propter hoc adoptatum &c.* at locutus est de *se ipso*. Qui Aristophanem aliósque Comicos perlustrârunt, centies id reperire potuerunt. Lubet unicum exemplum adducere ex Sarsinate, vel, si fas est dicere, *Plauto*, qui in *Mercatore* integram scenam habet hoc schemate constantem; ibi Pater:

Senex est quidam: i. e. *Ego*. Filius ℞: At mihi *quidam adolescens* mandavit, h. e. *Ego*. Et mox:

CH. *Certè ædepol adolescens ille, cui ego emi, efflictim perit*

Ejus amore: DE. *Multò hercle ille magis senex, si tu scias.*

vult uterque dicere: *Ego*.

Ejus emphasis.

Cæterùm etiam ἐμφάσεως causâ Paulum sic locutum crediderim: *Novi hominem*, q. d. ut olim ad *Festum*: ἀπολογοῦμαι, οὐκ ἀληθείας καὶ σωφροσύνης ῥήματα ἀποφθέγγομαι. Act. 26. 25. *Non mihi usu venit, quod* quibusdam multiplici historiarum aut fabularum lectione ad delirium perductis, ut subinde somnient sibi ipsis contigisse, quod aliis contigisse legerunt, sed ego *novi hominem*, τὸν τοιοῦτον, ut mox loquitur. Sum rei nimis quàm certus &c.

Imitatio ejus prava, vel bona.

Solemus aliquando his verbis. *Novi hominem* aliô, nec valde laudando sensu uti: cùm siniſtram de alicujus candore opinionem, simúlque aversum & dissimulanter hostilem animum nostrum indicare volumus, dicimus velut exerto digito: *Novi hominem*; Sanè invita Christiana charitate, quæ οὐ λογίζεται τὸ κακὸν, sed potiùs πάντα πιστεύει, πάντα ἐλπίζει, 1. Cor. XIII.

Sanctior erit expressionis hujus Paulinæ mimesis, si in honorificis nobis, *de nobis* extortis lubenter *involucris* utamur, nec ita cupidè prorumpamus ad illud Ego, NOS ut illi Lucæ. XXI. 8. λέγοντες, ὅτι ἐγώ εἰμι, ut Cicero alicubi

bi sic satis insipidè: *Ego sum ille Consul!* charitatis & mutuæ subventionis occasionibus, non propriis elogiis reservandum est illud: Ἐγὼ παῦλος. Philem. 19. Discamus quoque indidem illud γνῶθι σεαυτὸν, quod tanquam *sacculum è cælo descendisse* veteres dixerunt, & revera fons aliquis esset virtutum & felicitatum omnium, si quis sciret: Verùm rara est merx, pauci sciunt *hominem*, aut manticæ, quod à tergo est, pauci cantillant illud Terentianum & postea *Carolinum*: *Homo sum* &c. omnes sumus Papabiles, nescimus errare, pulchrè id exprimit Latinissimus Author:

SY. *Ecquem in hoc angiporto hoc hominem tu novisti? te rogo.*

BA. *Egomet me. SY. Pauci istuc faciunt homines, quod tu prædicas.*

Nam in foro vix decimus quisque est, qui ipsus sese noverit.

Poterat dicere *millesimus*; Sed hæc ἐν παροιμίᾳ

Quæritur jam quid illud sibi velit: Novi hominem ἐν χριστῷ, in Christo? Theophylactus, author alioqui satis judiciosus, præsertim cùm *Chrysostomum* suum oculis non amittit, miserum hîc affert glossema. Verba ejus hæc sunt: τὸ δὲ, ἐν χριστῷ, προσέθηκεν, ἵνα μὴ εἴπωσιν οἱ ψευδαπόστολοι, ὅτι ὑπὸ δαιμόνων ἥρπαγη ὡς ὁ Σίμων. i.e. *Addidit* (Paulus) *in Christo, ne dicant Pseudapostoli, à dæmonibus raptum, velut Simonem magum.* Quasi verò illa verba ἐν χριστῷ idem sint, ac ὑπὸ χριστοῦ, quasi verò pertineant ad remotum illud participium ἁρπαγέντα, quod

In Christo, quid? Theophylactus notatus.

quod *nec proximè* succedere potuissent, per Linguæ Græcæ indolem, nedum *tam procul* succederè! Adde, quòd periculum, à Theophylacto excogitatum ea ne poscebat quidem. Otiarentur penitùs hoc sensu. Quippe eo, quod memoravit Paulus, *se in Paradisum & 3. cælum* raptum jam in vado fuit. Scitum enim est, à Dæmonibus neminem rapi in paradisum aut tertium cælum. Præterea Theophylactus, ut ipse miserè est credulus, Paulum nostrum absurdè credulum facit. Ejus enim sententiâ crediderit Paulus, dummodò ipse adderet ἐν χειρῷ, scil. se raptum, confectum esse negotium, neminem jam oblocuturum, aut iter illud gerulis dæmonibus ascripturum deinceps. At Paulus genium τῆς διαβολῆς experiundo melius pernovit, quàm ut crediderit, tam levi negotio elinguari illam posse. Id verò omnium nugaciſſimum, quòd putat Theophylactus, Paulum respexisse ad historiam *Simônis magi*, à dæmone in aëra evecti & à Petro præcipitati. Ut enim transeam, quòd hæc (si Diis placet) historia forsitan à chronologo exacto post scriptæ hujus epistolæ tempora, atque adeò extra respectum Pauli poni deberet; Revera fumi, fabulæ & nugæ meræ sunt, quæ de hujus *Simonis* volatu lapsúque venditantur, vel usque adeò, ut nihil in Icaro aut Phaëtonte sit æquè fabulosum. Quod invictis argumentis eruditi, vel ipso Baronio magno alioqui fabellarum vindice, obstetricante, demonstrarunt, & jam olim Augustinus agnovit, *Græcam* dicens esse *fabulam*.

Raptus Sim. Magi.

Gro-

Grotius, ut solet, hîc aliquid singulare, aut certè non valde obvium affectat; connectit enim verba ἐν χειρῷ cum seq. πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων, elisо commate, & ita explicat: *Novi hominem, qui jam per annos 14. Christo serviat.* Pessimè! An enim Paulus sub finem aut in fine quinti à Christo nato decennii hanc epistolam conscribens (ut nuper demonstravimus) dicere potuit, se demum 14. annis servire Christo, & esse conversum; hoc est, duobus aut penè tribus post Christi ascensionem lustris? Quis sanus, atque eorum, quæ Lucas in Actis, aut ipse Paulus in fronte epistolæ ad Galatas recensuit memor, hoc accredat? Grotius notatus.

In eo autem *Grotius* non valde fallitur, quòd *hominem in Christo* interpretatur *hominem Christianum*, quod ex eo etiam *Coccejus* hausit, &, præter morem, eo acquiescit, nil ultra excogitans. Et sanè usitatum est in Sacris, ut *esse in Christo* significet, esse fidelem, esse conversum. Vid. Rom. XVI. 5. 7. 11. & VIII. 1. 1. Cor. I. 30. alibi id exprimitur; *communionem habere cum Christo*; esse in communione cum illo 1. Joh. I. 3. 6. 1. Cor. I. 9. Quæ phrases multum habent emphatici ponderis, & imprimis à papistica illa de salute ἐπιχῇ magnopere abludunt.

Cæterùm disceptari possit, an hîc illud ἐν χειρῷ epitheton sit ἀνθρώπου, *hominis*, an verò *qualificatio* Verbi præcedentis, οἶδα, *scio*? Nam verbis actionem aliquam significantibus eâ potestate subinde jungitur. Ita *Tertius* ille Rom. XVI. 22. vel scripsit dictatam sibi epistolam, Quo pertineant verba: ἐν χειρῷ.

vel salutât ἐν κυρίῳ, *in Domino*. Imò videor mihi observasse quasi consuetudinem quandam *primorum Christianorum*, ut de suis actionibus loquentes libenter crebróque illud adderent ἐν χριστῷ; ἐν κυρίῳ. Quasi respicientes ad illud Psalm. CXV. 1. *Non nobis* &c. &c.. videtúrque ipse noster Apostolus id sive instituisse, sive confirmasse Col. III. 17, ubi ea etiam quæ ἐν λόγῳ *sermone* fieri accideret, jubet fieri ἐν ὀνόματι κυρίου Ἰησοῦ. Hâc lege suâ poterat dixisse Paulus οἶδα ἐν χριστῷ, pro *scio & recordor ad laudem Servatoris mei* &c. Certè hîc loquendi mos vel hodienum obtinet, multus ubique Deus in sermonibus nostris, multa gratiarum illi debendarum mentio, etiam ubi rebus gerendis, aut congerendis nullus interfuit, nisi fortè *permissione, ex ira, & tristi obdurationis judicio* Verùm hominibus non ampliùs seriò, sed dicis causâ, & ex formula Deum memorare volentibus, quævis occasio bona est.

Raptus Pauli.

Pergamus ad *raptum* Pauli. Paulus ἁρπαγή, *raptus est*, nescius an cum corpore, an sine corpore, quod bis ponit, ut facere amant, qui in re gravi considerate loqui videri volunt. Ἁρπάζειν *rapere*, propriè dicuntur *fera*; transfertur dein ad Dæmonem, infernalem illam *vulpem*, seu *spermologum*, sic Matt. XIII. 19. ἁρπάζει τὸ ἐσπαρμένον: ad homines variè. Apud Comicum aliquis *Harpax* hanc reddit nominis sui rationem.

HA.

HA. *Hostes vivos rapere soleo ex acie, ex hoc nomen mihi est*

PS. *Pol te multò magis opinor vasa ahenea ex ædibus.*

Et alibi sic depingitur quorundam furacitas: *Rape, clepe, tene, harpaga,* bibe, es, fuge, hoc est eorum opus *Raptus* in re juridica famosum est crimen, cum vel puellæ, vel nuptæ, vel viduæ ad illegitimos congressus avehuntur, sive sequatur matrimonium, sive non. Ubi ἐν παρόδῳ admirari licet Gentilium Theologiam, qui scelerī huic aut *capitis pœnam,* aut *indotatas nuptias,* pro optione *raptæ* statuerunt, cùm tamen frequentatum scirent à pulchris suis *diis.* Nam Pluto Proserpinam, Juppiter Ganimeden rapuit, imò vix ullus Deorum extitit, quin raptubus aut tentatis aut peractis sit famosus Cæterùm ἁρπάζειν non rarò *bonam in partem* sumtum videas. Ita laudem meretur ille *Chiliarchus,* qui milites jussit ἁρπάσαι Paulum nostrum è Judæorum manibus, ἵνα μὴ διασπασθῇ Act. XXIII 10. Ita jubemur *rapere Regnum cœlorum* Matt. XI, 12. *Rapere* quosdam *ex igne.* Jud. 23. quem loquendi modum etiam apud Cic. videas in Catil. *Ex flamma, ac penè ex faucibus fati ereptam urbem & vobis conservatam videtis.* Demum *rapere* Deo tribuitur (ut hîc) éstque vel *judicii,* vel *gratiæ.* Illius exemplum Job. IX, 12. *Si rapuerit, quis restituere faciet eum, quis dicet ei, quid facis?* Visatur etiam illustris locus Hos. V, 14. &c. &c. Singularis est gratia, cùm aliquando *rapit* ad gloriam & arcana sua videnda

denda homines: ubi vox ἁρπάζειν non *vim*, vel violentiam jam, sed solam *pernicitatem*, aut rapiditatem planè præternaturalem connotat, qua inprimis opus est, si *in cælum* h. e. supra sydera fiat raptus, quod de anima facilè, de corpore difficulter concipias, tanta est illa distantia. Qua de re infra fortè

Raptuum varia genera.

Distinguente itaque Paulo, varii sunt isti *raptus*, alii *sine corpore*, alii *cum corpore*; alii *in cælum*, alii non tam procul, sed in alium fortè terræ locum, ab aliis mox reditur, ab aliis non reditur. Cupiat aliquis hæc sibi explicari, sed pulchrè prætereunt interpretes, quos ego quidem vidi, quasi per se paterent.

Sine corpore.

Raptus sine corpore Græci ἐκστάσεις nuncupant, quasi positionem hominis extra se, aut abstractionem mentis à corpore, *excessum mentis*. Contigêre tales *Paulo* aliâs, ut ex Act. XXII. 17. supra vidimus, contigêre *Petro* Act. X. 10. sæpissimè *Johanni* (qui id vocat *esse in Spiritu* Ap. I. 10.) sæpissimè *Prophetis* V. T. imprimis *Ezechieli*, non eo sensu, quasi mens à corpore quasi *passer è cavea* avolaverit, ut fortè obtusiores sibi fingunt, neque enim eo modo inest, aut cum *physicis qualitatibus, motu, loco* &c. propriè loquendo quicquam negotii habet; Sed potiùs *status illius vinculi*, quod animam inter & corpus est, & ordinarius ille mutuò respectus mutationem & suspensionem est passus, sola anima vegetabili partes agente suas, mente interim aliter occupatâ, quo factum, ut corporei motus, & soni si qui interim acciderent (nam *sopore* subinde tenebatur) nihil admodum λογι-

νὸν, sed mera *deliria* resiperent. Exercebatur interim non mens tantùm miris & sibi congruis perceptionibus, sed & phantasia & aures, oculíque, aut potiùs eorum nervuli, *præternaturaliter* adficiebantur, & quicquid erat ritè recondebat, & post promebat (nisi ἄῤῥητα essent) memoria. Corporalis autem perceptio quæ heic suberat, gemino modo se habuisse videtur, in auditu æquè ac visu. Aut enim species sensilis revera objiciebatur, *sensilis*, inquam, sed *præternaturalis*, qualem (quoad auditum) Hebræi vocant בת קול *filiam vocis*, sive divinam vocem, quæ fortè etiam locum habet versu 9. nostri capitis, & in historia pueri *Samuelis*. Hoc pacto fieri potuit, ut quæ Vir aliquis sanctus audiret, & videret, id confusè saltem & circumstantes perciperent. *Aut* perceptio fiebat *sine specie sensili* extra corpus sese ingerente, sed *miraculosâ* quadam *modificatione organorum acusticorum, & opticorum*, ut intùs hominis phantasiæ id stiterint, quod stitissent si species aliqua extrinseca naturaliter in ea egisset, globulorum inde resultantium, aut aëris inde undulantis vario illisu. Nam certè si morbi quidam Organa sensuum nostrorum ita *modificare* possunt, ut sonos audiamus, aut figuras videamus, quæ extrinsecus nullæ sunt, quantò faciliùs Dei potentia immediata id efficiet? Sed hoc simile est dissimile, non nescio. Vera enim non imaginaria revelatio fit in nostris ecstaticis. Itaque posteriori hoc modo visiones & noctu fiunt citra lucem, & auditiones citra om-

nem ſtrepitum, nec quisquam præſentium quicquam percipit. Tale quid *Paulo* contigit Act. 23, cùm ei noctu aſſiſtens Dominus dixit; *confide Paule* &c. ſic *Eliſæus* vidit *inſeſſos montes turmis & quadrigis* Angelorum, obtuſo ad id ſpectaculum Gehazio. Poteſt eodem forſitan referri viſio *Stephani* Act. VII. *vidit cælos apertos* &c. & tamen videtur (certò enim non dixerim) ſtetiſſe *in ſynedrio laquearibus probè tecto.* Hæc autem omnia ſunt *raptus*, ecſtaſis quædam mentis, intellige eo more, quo menti, ſubſtantiæ propriè non locali, convenit. Neque enim *mens ſtadiis* emetiendis, aut hoſpitiis obequitandis opus habet, ut ſit è terra in cælo, aut è cælo in terra.

Cum corpore. Iam *raptus cum corpore*, quem ſuſpicari de ſe malle Paulus videtur, quàm illum, & certè conſequus ille σκόλοψ aliquid inuſitatum præſtruere videtur: *Raptus*, inquam, *cum corpore* in cælum erit ſine dubio tranſlatio *præternaturalis* à nullo Phyſico explicabilis (ut infra docebitur) totius hominis, in quo *ſpecimen* aliquod *ſtatus glorificationis* edatur. Longè minus mirabilis, etſi valde mirabilis, eſt *raptus Philippi*, per aliquot milliaria, qui Act. VIII. 39. deſcribitur: quales raptus etiam *Eliæ* uſu veniſſe loca 1. Reg. XVIII. 12. 2. Reg II. 16. indicant. Quin & ipſe *Enoſchi & Eliæ* in cælum raptus aliquantum minus habet miraculi, quàm iſte noſtri, ſi *in corpore* illi contigit. Nempe quia illi nonniſi *poſt multa ſecula redierunt*, aut nunquam adhuc, habemus *tempus* quod illorum curſui demus: At no-

noſter *ivit, vidit, rediit*, citiùs pene quàm aſparagi coquuntur, nusquam ideò intercalatur ejus hiſtoria, nec mihi viſi, qui huic raptui plus *triduanâ morâ* admenſi ſint.

Ejusmodi autem ecſtaſeis, & raptus fidelium Dei in Eccleſia olim plantanda συνεργῶν cum ſublimibus & divina omnia certò ſpirantibus ἀποκαλύψεσι reverſorum ſunt opus Dei adeò magnificum, adeò illuſtre & *deciſivum*, ſi ſic loqui licet, ut furvus ille furcifer, cacodæmon omnibus temporibus penè ſibi ramices ruperit, ne non tale quid in ſua colluvie, ſive *verè*, ſive *per hiſtrioniam* fabrefaceret. Quò enim alio fine repererit ille tot horrendas ludificationes miſerorum gentilium, quando *ſacerdotes, anicula* &c. vel *thyrſi percuſſu*, vel *tympani* alicujus ſonitu, vel *herbarum* quarundarum guſtatu, vel neſcio cujus *liquoris* potu, vel *tripodis inſeſſu atque inequitatione*, vel olido aliquo *afflatu, bacchari, corybantiare, amptruare, furere, horripilare, ſpumare*, quaſi exanimatæ *concidere*, fædè *membra diſtorquere* &c. móxque non tam ad ſeſe, quàm ad fundenda mendaciſſima oracula reverti conſueverant? Spectat huc & alia apud Gentiles hiſtrionia, *mortium* quas vocant *Philoſophorum*, quando, ſi Diis placet, animæ contemplationis alis expatiantur, mox in ædiculam ſuam aut *concham* redituræ. Ita, ſi *Plinio* credimus VII. 52. ſubinde vagati extra ſe ſunt *Epimenides* & *Ariſteas* Philoſophi, viſáque eſt poſterioris anima effigie *corvi* è corpore evolâſſe, quæ cremato interim corpore ab ho-

Quomodo ejusmodi raptus imitari cacodæmon conetur?

Hiſtoriæ in eam rem.

hostibus, redux, ut illa Adriani *animula vagula, nudula,* ætatem agere coacta est. Similia (nihil enim lubentius in *similitudinem*, spuriæ nativitatis indicium, impingit, quàm fabulæ) de *Hermotimo Clazomenio* refert nugator ille *Apollonius* in Mirab. Hist; sæpissimè illum per varias regiones expatiatum corpore interim domi relicto, & uxoris fidei, ne qua illud à quoquam tangi patiatur, commendato, ídque toties reciprocatum, donec aliquando perfidiâ mulieris intromissi nescio qui, illud in cineres verterint. Verùm nec posterioribus his seculis defuit præstigiator *Hieronymus Cardanus*, qui de se ipso De Var. Rer. VIII. 43. perhibet; quoties velit, sese in ecstasin transire, ita ut voces quidem astantium leviter audiat, neç tamen intelligat, vellicationes validissimas, imò ne podagræ quidem dolores prorsus sentiat, sed id solùm, quod sit extra se ipsum (ô nugator! Sed perge.) Initium inquit, fieri à capite, maximè cerebello (nisi fortè pro illo, *cucurbita*) diffundi per totam dorsi spinam: Sentire se in principio quandam circa cor separationem, quasi anima abscederet, totíque corpori id deinceps communicari, quasi ostiolum quoddam aperiretur, videre se tum omnia, velut oculis lucos, animalia, orbes, & quæcunque cupiat, sed imagines illas perpetuo moveri. *Hæc ille.* Quæ mihi præter diabolicas præstigias, insuper illorum morbillum redolere videntur quibus,

Ver-

——— *Vertigine tectum*
Ambulat & geminis exurgit mensa lucernis.

Quibus etiam venditantur raptus *cum corpore.*

Cæterùm infernalis ille *Ludio* non ecstaseis modò ejusmodi creberrimas, sed ipsos etiam *totius hominis* raptus, & citas translationes imitari conatus est. Non desunt qui tale quid *in ipsum Servatorem* ausum esse pertendunt, quòd iste passus sit, ut tantò manifestius ardelionem confunderet: Qua de re lege Matt. IV. Verùm illa historia prolixiorem requirit cogitationem, quàm ut hîc locum reperire possit.

Si *Bodino* Dæmonom. L. II. 4. & congestis ab eo exemplis fides, misera illa Diaboli ludibria, *sagæ, lamiæ, striges*, non diabolicas tantùm ecstaseis, sed & *corporales* ad comitia illa impurissima patiuntur raptus, *furca, hirco*, aut *scopis* vectæ, imò nonnunquam per imprudentiam & innocui eò abrepti sunt, & postquam suspiriis eorum ad Deum infernalis scena disparuisset, viderunt se in remotissimis solitudinibus, unde vix longinquis itineribus, mendicare per ea coacti, patriam suam iterum repererunt. Sed *Bodinus*, ut credulus est Author, ita lectore judicioso opus habet; valet in talibus Italorum dicterium: *il creder e cortesia.*

Redeamus potiùs ad cascas illas fabulas, quibus ille *Mendax ab initio* regnum suum oplevit. Reperimus *Dædalum*

——— *fugientem Minoia regna*
Præpetibus pennis, ausum se credere cælo.
VI. Æn.

Perseum acceptis à Mercurio talaribus per aëra vectum

vectum in certamen contra Meduſam. *Bellerophontem* Pegaſo i. e. equo alato in expeditione contra Chimæram. *Abaris* Scytha ἀιθροβάτης, *cælivolus*, vel *cælipeta* dictus, leviſſimus ſine dubio homuncio, quòd emiſſâ ſagittâ, unà cum ea ferretur in nubes. Verùm inter hujus generis ardeliones non omittendus *Appollonius* eſt *Thyaneus*, de quo Philoſtratus aliíque authores Chriſtianæ fidei (quod probè notandum) infeſtiſſimi, varios ejusmodi raptus referunt v. g. quòd à tribunali Domitiani, ad quod magicarum artium causâ tractus fuerat, ſubitò *Puteolos*, aut *Epheſum* avolaverit, quòd ex intima Africa à ſcaturigine Nili paucis momentis Romam pervenerit, quòd alioqui penè *anni* eſt iter: & ſimilia. De *Romulo* Plinius, *Florus*, *Ovidius*, aliíque authores ſic ſatis diſertè affirmant; fuiſſe eum à *Patre Marte* ad capream Paludem nimbo in cælum raptum. Livius l. 16. id ipſum narrat, ſive narratum refert, verùm ut ſcriptor eſt figulari rota verſutior, addit: *Fuiſſe credo tum quoque aliquos, qui diſcerptum regem Patrum manibus taciti arguerent; manavit enim hæc quoque ſed perobſcura fama. Illam alteram* (de raptu in aſtra) *admiratio viri, & pavor præſens nobilitavit.* V. S. At hoc nihil aliud eſt, quàm civiliter fabulam ridere. Eodem penè modo in hac re verſatur *Cherſonenſis*, & fatetur, ſuſpicionem fuiſſe, *Romulo in Vulcani templo manus eſſe allatas à ſenatoribus, diſſectóque interfecti corpore, partem quemque, in ſinu extuliſſe, quô fidem inveniret mendax miraculum.* Affert etiam exemplum *Cleomedis*

Romuli raptus.

Aſty-

Astypalei, qui cùm ruptâ columnâ Scholam aliquam evertisset ingentémque discipulorum numerum ruina obtrivisset, insectantibus civibus in arcam se conjecit operculúmque adductum intus tanta vi retinuit, ut nullo multorum robore revelli potuerit. Dissectâ itaque arcâ, inanias meras deprehensas, nullum *Cleomedem*. Famam quoque esse (ita pergit *Plutarchus*) Alcmenæ corpus cùm efferretur, ex oculis esse subductum, & lapidem in lecto, (intellige, lecticula emortuali) esse repertum. Sed mox hæc omnia fabulas vocat, & Pindarico illo perorat; σῶμα μὲν πάντων ἔπεται θανάτῳ περιφθενεῖ, ζωὸν δ' ἔπι λείπεται αἰῶνος εἴδωλον: Omnium corpus tenetur morte pallida, Mens restans æternitatis effigiem tenet. *Aristobulus, Halicarnassæus, Val. Max.* minus utuntur circuitione & parricidium agnoscunt sive à Patribus, sive à novis civibus commissum, &c.

Lubuit *his* nonnihil immorari (non magno, ut speramus, auditorum tædio) ut pateret, quam sedulam, sed pariter quam cassam & inanem operam Simius ille Tartareus dederit, ut illa nostri Dei magnalia offuscaret, quæ tamen infelix furcifer magis illustravit, contigitque illi quod olim in aula Pharaonis, ubi diu cum miraculis Dei objectu præstigiarum suarum luctatus, tandem *supponens utero caudam* cum pudore discessit. Neque sane opus est, ut memoratas supra nugas nos confutemus, occuparunt hanc operam cordati quique gentilium, *Plutarchus, Cicero, Seneca, alii*.

Apud

Apud *Plautum* Pæn. II. 2. ridiculi causa inducitur aliquis, qui gloriatur, *se* 60000. *hominum volaticorum occidisse uno die: Jussisse illos primùm funditarier visci globis, & cum tam crebri ad terram acciderent, quam pira, necâsse quemque per cerebrum pinna sua sibi adactâ, quasi turturem.* Sed ei resp. alter, *se in malam crucem ire malle, quàm ejusmodi nugas audire ampliùs.* Nos ergò quoque dudum nauseare fas est, & ad sanctissimum nostrum Paulum redire.

Dubitatio Pauli de modo sui raptus.

Negat is se scire an *in corpore* an *extra corpus* raptus sit; *Deum* verò *scire.* Mira est hæc inter tot ἀποκαλύψεις alias ignorantia, in tanta circumfusa luce caliginis mixtura. Et certè, ut illæ notitiæ, quas Paulus in cælo hausit, non erant naturales, ita de hac ignorantia dicere possumus, non fuisse naturalem, sed θεήλατον. Quatuordecim integris annis post rem gestam nondum divinâsse potissimam circumstantiam, singularem Numinis providentiam redolet: Nec fortè malè heic observaverimus; D. T. O. M. iis quos extraordinaria aliâs luce perfundit, deliberatò relinquere quasdam caligines memorabiles, quas dispellere non possint, eo sine dubio fine, ut lumina sua non sibi, sed Patri luminum accepta referant, adeóque hac in parte Christianè potius quàm *Cartesianè* sentiant. Ita hic ipse Paulus noster Act. XX. 22. cùm Hierosolymam proficisceretur, & jam se δεδεμένον τῷ πνεύματι, *vinctum spiritu* sentiret, tamen negat se scire, συναντήσοντά σοι, *obventura sibi.* Neque etiam observatu indignum est,

Semper Deus suis aliquas relinquit caligines.

Apo-

Apostolum nostrum, cùm à Christo conversus & cælesti luce perfusus est, triduano glaucomate esse percussum. Sic narratio illa Johannis de se ipso Capite XXI. 22.23. satis prodit, etiam post effusionem Spiritûs S discipulos, ipsósque adeò Apostolos latuisse sensum verborum Christi ad Petrum: Ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρός σε; Et quamdiu latuit illos mysterium, cui ipsi executores non destinati solùm, sed & declarati jam fuerant, *Vocatio gentium?* Imò quod magis mireris, αἱ ἀρχαὶ καὶ αἱ ἐξουσίαι ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, hoc est *Angeli* (ut saltem plerique interpretantur) demum ab Ecclesia N. T. vix tandem inter initia implementi doceri debuerunt πολυποίκιλον σοφίαν τοῦ θεοῦ in ipsa illa vocatione gentium effulsuram: ἵνα γνωρισθῇ νῦν αὐτοῖς Eph. III. 10. Porrò cùm Apostoli θεοπνεύστως atque adeò accuratissimè nobis Orbis & Ecclesiæ fata usque ad finem sæculorum ceciniissent, videntur tamen inter hoc ipsum agendum minimè suspicati, *quòd Mundus tot adhuc seculis superfuturus sit.* Quod præsagiis & effatis eorum adeò nihil derogat, ut potiùs omne os obturetur, & omnibus modis hinc effulgescat, non illos fuisse τοὺς λαλοῦντας, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς αὐτῶν. Matt. X. 20 *Nempe* ne ipse quidem Servator noster, in quo omnes *thesauri cognitionis*, & qui in fine mundi, tanquam gloriæ suo potissimo theatro, unicas habiturus est partes, videtur, *quà homo aut hominis filius*, terminum ejus scisse, neque enim locus Marci.

Quarum vix ipsi Angeli exortes.

XIII.32. sine vi, aliorsum flecti posse videtur.

Paulina ignorantiæ confessio admodum amabilis.

Cæterùm hæc ignorantia quàm reddit amabilem, & ut ita loquar, exoſculabilem Paulum noſtrum: *Non novi, Deus novit*? Nulla posset fingi oratio, quæ *Theologum* magis deceret, aut cordatorum animos pollentiori lenocinio traheret. Quid enim prono animo non credas illi, qui tam paratus est ignorantiam fateri, ubi ignorantia subesse potest, qui tam candidè & sine fuco, etiam ubi prodesset illi fucus, tecum agit? Profectò ejusmodi ingenuitates Scriptorum Sacrorum (sunt enim & alibi plusculæ, non ita pridem à *Cel. Werenfelsio* tractatæ) invictissimum eorum θεοπνευστία præbent argumentum, uti è contra meritò suspectos habeas, meritóque nausees illos, qui longè infra subsellia Pauli posti, omnia tamen scire, definire, & decretoria sententiâ fixare volunt.

ut secus qui sentit, nihil sentiat.

Illis datum in bicipiti somniasse Parnasso, & recordari somnia, quod non licuit olim Nebucadnezari, nos miseri cum Paulo ἐκ μέρους γινώσκομεν, καὶ ἐκ μέρους προφητεύομεν subinde illud aspergere coacti NON LIQUET.

Quò Paulus sit raptus?

Tempus est visere locum, vel loca, quò raptus est quoquo modo Paulus. Ἕως τρίτου οὐρανοῦ, *ad tertium usque cælum*, inquit: Et mox εἰς τὸν παράδεισον, *in Paradisum*. Disceptatur, an hæc synonyma, & posterius explicationi prioris inserviat, an contra? Heic verò mirabilis, penè dixi miserabilis est *Theophylactus*. Statuit enim, Paulum raptum gemino itinere ió. *in ter-*

tertium cælum, dein inde in Paradisum, tanquam locum *alium*, quia πολὺ, inquit, τὸ ὄνομα τῆς χωρίας τοῦτο ἐφημίζετο. Sed audite, quæso, quid addat? ὅθεν καὶ τῷ λῃστῇ τοῦτον ὁ κύριος ἐπηγγείλατο. Quid, obsecro, hoc rei est? An Christus, cùm Latroni dixit: *hodie mecum eris in Paradiso*, & se & illum ablegavit in *Asiæ* nescio quam regionem, quæ *paradisus* olim fuit? *Cras credo, hodie nihil.* Tolerabiliùs *Chrysostomus & Oecumenius*, qui *duplex quidem* iter *in duplicem locum* agnoscunt, sed Paulo soli relinquunt. *Grotius* heic quoque mirificus est; distinguit paradisum à 3. cælo, velut *locum solatii* ante resurrectionem, quem dein post nescio quam moram excepturus sit *locus gloriæ*, i. e. tertium cœlum, & remittit nos ad notas suas Luc. XXIII. 43. ubi sanè prolixam instituit de *Paradiso* disputationem, & putat per eum *statum*, non *locum* intelligi, & verba illa Christi ad latronem ita παραφράζει: *Non tantùm olim, cùm regnum meum suam accipiet plenitudinem, tui ero memor, sed jam nunc magna & ingentia solatia tibi repræsentabo.* Mox eò devenit, ut dicat: ἐν παραδείσῳ id ipsum esse, quod ὑπὸ χθονός, *sub terra*, aut ἐν ἅδῃ *apud inferos*. Quæ omnia, quâ gratiâ homo *ambidexter* & ἀμφοτεροδέξιος excogitaverit, facile est conjectu, nec nos eis confutandis immorabimur. Sanctissimus noster Apostolus nullo alio *raptu* opus habuit, quàm in eum locum, ubi Christus se præbet in gloria videndum, hæc versio, nulla alia, necessarium fuit Apostolatûs fundamentum; nolim itaque entia multiplica-

Theophylacti nugæ.

Grotius.

re citra neceſſitatem, ſed potiùs cum judicioſiſſimo noſtro *Bullingero*, *Coccejo* & plerisque probatioribus interpretibus exiſtimare; *Paradiſi* vocem *explicativè* hîc additam, ut, recepto tum more, indigetatus ſit ille beatiſſimæ contemplationis, & ſummæ gloriæ locus, ubi ſanè, non in *Aſiæ* aliquo tractu, Paulus commodè audire potuerit ἄῤῥητα ῥήματα. Quem locum prout fas eſt, ex hoc terræ velut profundo puteo nunc deinceps contemplari accuratiùs oportet: Fiet autem id Ξ. Θ. ſequenti prælectione. Hac vice, A. H. in chartis plura non habeo, & fortè horologii index non procul abeſt ab amabili illa prandii hora, ad quod vos lubenter invitarem, ſi luculentior eſſet focus. Sed bene eſt, quòd quisque veſtrum cum ſapiente illo Platone alibi ἤρατω ὀπτῷ ἀλεύρῳ.

PRÆLECTIO III.

Magnifice, &c.

Introitus. ETſi ſæpius aliorum non admodum jucundâ mihi operâ expertus, dudúmque certus ſum, nihil faciliùs pari naſcíque quàm *promiſſiones*, *pollicitationésque*: Nullum è contrà partum incertiorem & dubioſiorem, quàm *præſtationis*, licèt gemella hæc eſſe debuerat, & cum *rubro ſuo filo* ſtatim ſubſequi. Tamen evénit mihi, ut etiam meomet exemplo, meóque

que ipsius pudore clariùs & certiùs id experiri agnoscéreque debeam, ut jam alios *Dosones, Chrestologos, inanésque pollicitatores* minùs in jus rapere possim.

Nempe promisi nuper, & bona quidem (ut rebar) fide, me repræsentaturum vobis accuratiùs *TERTIUM illud cælum, Paradisúmque*, quò raptus esset Paulus noster. Certè stare pollicito hocce constitueram, fretus illis opibus & monetis, quas aut ante congessissem, aut reperturus essem in librorum meorum, tanquam Tyrannus aliquis ad incitas redactus subditorum, loculis, aut propria meditationis incude recenter procuderem. Verùm ubi hæc omnia reseravi & excussi, sentio me hercle æstivè viaticatum, sacculósque hos omnes *plenos araneis*, magnis quidem, & multiplicibus & milleformibus sed tamen *araneis*, vestigia nulla ferentibus. Sic dum Paulum sequi volo ablatum in tertium cælum, & Paradisum, auferor ipse non in cælum. (dabit id aliâ quadam propinqua vice propitius & misericors Jesus) sed *in vastas illas regiones incertitudinis, & ignorantiæ*, in quibus illa בת קול, illa nympha *Echo*, Paulo resonabilis, sola cantillat: *Non novi, Deus novit.*

De loco, quò Paulus raptus, perparum docere interpretes.

Inprimis autem perquam tenues repperi *commentatorum* suppetias, aut sicco pede transeunt, aut facilè expediunt, ut *vulpes pyrum comest*, memorato illo cœlorũ numero ternario, *Judæis* familiari, & explorato *Paradisi situ* (quasi id magnopere ad rem faceret, cùm nihil faciat) magnopere autem ad illum *scolopem* festinant,

ſtinant, tanquam aquilæ ὀξυδερκέσταται ad prædam, in qua acuminis & ingenii *noſtra* exerceant. *In uno illo Volſcente morantur*: Ego contrà factum mallem, & fortè ita judicabit, qui rei momentum mecum perpenderit.

Supponit Paulus, fieri potuiſſe (& fortè factum eſſe) ut ἐν σώματι, *in corpore*, unà cum corpore raptus fuerit *in tertium cælum*;

Vorſtii ſententia.

Jam ſi quis cum *Vorſtio* (quem neſcio an qui noſtratum alii ſequantur) nihil aliud intelligat, *quàm beatam & cæleſtem cum Deo converſationem*, ut *primum cælum* ſit cælum illud *Mundanum* Gen. 1. creatum: *Secundum prædicatio Evangelii*: *Tertium*, inquam, beatitudo vel glorificatio, ubi ubi indulta: vel, ſi *Theophylactus* audiendus, qui per 1. Cælum *Ethicam* intelligit, per 2. *Phyſicam*, per 3. *Theologiam*, in ſpecie caput de SS. Trinitate &c. Vel ſi hîc valeat cœlum ubiquiſticum, in quo & Diabolis locus, tum verò res eſſet vel nimis plana.

Dico *nimis plana*; evaneſcerent enim non tantùm difficultates, quæ poſtea memorabuntur, ſed evaneſceret etiam illa rei geſtæ grandis, ut videtur Apoſtolo, ſingularitas, ordinarium eſſet omne, vacaret ipſe raptus, quid enim raptu opus in id, in quo jam ſis in præſentia? otiaretur numerus tertianus, quomodo enim *tertium* eſt, quod *ubique* eſt, ultramontanum ſimul & ciſmontanum? Inepta eſſet comparatio cum Paradiſo, ſelectæ & minimè obviæ fertilitatis loco &c. talis autem *complanatio* poſthabenda certè eſt omnibus difficultatibus & ſalebris, quaſi

quasi si tonsor pro operosiore pilorum resectione, pauculis & facillimis novaculæ curriculis, cutem & carnem simul cum pilis rescindere vellet. Commodum sanè & breve negotium, sed nescio an placiturum.

Cælum ubiquitisticum.

Illas rationes contra miserabile illud *cælum ubiquitisticum*, quæ cum nostro themate nihil habent commune, prætereo, apud Theologos quærendas, poterit imprimis visi *Beumlerus* nostras in opere illo contra *Heilbrunnerum* vernaculo, ubi ubiquitistam hunc irrequietum non solidissimè tantùm, sed insuper adeò facetè, salsè & satyricè depectit, ut non potuerint *Proceres tum-Tigurini* sese continere, quò minùs Viro illi in Palatino aliquo pago tum pastorem & inspectorem agenti, præmii loco stationem professoriam Theol. heic offerrent; quod ipse in alius opusculi præfatione celebrat. *Tempora mutantur.* Quidam (ejusmodi præmiorum nec capaces sanè, nec captatores) abundè se his moribus & temporibus præmiatos putarent, si majorum, incognito & illecto plerisque more stylóque veritatis, contra futiles quosdam blasphemósque tenebriones, causam, ut jussi erant, agentes, ut sunt tuti ab hostibus, ita etiam tuti essent ab *amicis*, qui se vocant, ἀλλὰ τὰ μεν προτέτυχτα ἐάσωμεν ἀχνυμενοίπερ.

Indago cæli tertii.

Tertium cælum tota reformatorum, & plerorunque Pontificiorum Theologorum cohors, non invitis Patribus, fundat supra omnia sydera, vocátque non tertium, sed & *cælum cælorum, empyreum, supremum, Angelicum, sedem Christi*

sti & beatorum. Eâ vel sua, vel Judæorum (vid. Grotius & Coccejus) mente, ut *primum* seu infimum cælum sit aër, volucres, nubésque complectens, & ros gignens. *Secundum* æthereum, non exiguum sanè, sidera omnia erratica & fixa complexum, & supra elementum ignis (quod comminiscuntur quidam) contignatum. *Tertium* ista huic incubet quod dixi. Hoc pacto *arca mundi* esset ædificata & distincta, ut olim *arca Noachi*, prioris quasi ὑπόγεαφον. Observat tamen *Coccejus*, Judæos aliquando duos tantùm numerare cælos, aliquando etiam *septem*. Quicquid sit, certum est, eos sphæras *Ptolemaicas Alfonsinásque*, liquidas alias, alias solidas seu Chrystallinas, alias concentricas, alias eccentricas, ut cæparum solent tunicæ, aut Pharmacopolarum cuculli sese ambientes, penitùs ignorâsse, non magno fortè suo detrimento. Et profectò nisi hæc commenta scholas inundassent, & Oceanum quendam inexplicabilium difficultatum invexissent, nulla fortè alia causa excitasset postremis his seculis *Copernicos, Tychones, Longomontanos, Carteſios, Neutonos* &c. ut nova, eáque planè contraria mundi systemata excogitaverint, aut potiùs jam olim à vetustioribus excogitata incrustaverint, non admodùm salva, uti plurimis videtur, S. Scripturæ authoritate. Ita subinde fit, ut natarum καινοφωνιῶν maxima culpa resideat in ipsa improvida, cæca, & inerti illa veterum inventiuncularum retentione, & neglectu regulæ Paulinæ: πάντα δοκιμάζετε &c. Sed de-

Judæorum sententia.

Novæ de cælo opiniones.

ferot extra *vorticem* meum.

Illa Theologorum penè omnium sententia, tertium cælum esse *spatia illa extra, ultra & supra omnia sydera porrecta*, sine dubio retinenda est. Est enim verosimile Judæos, qui ita intellexerunt, & qui optimorum Uranoscoporum posteri, revelationúmque divinarum hæredes fuerant, non potuisse in hac re valde lippire. Quin etiam mirificè huc facit, quod Christus ascendens, quò, nisi in 3. cælum? dicitur διεληλυθὼς πάντας τοὺς οὐρανούς. Absit igitur ut aliam foveamus sententiam, quàm Paulum commeâsse in cælum non modò gloriæ gradu, sed etiam situ & distantiâ à tellure *tertium*; & ultra visus nostri jactum, *fortè* & ultra sydera omnia porrectum.

Orthodoxorum Theologorum mens.

Quòd si jam hanc rem *obiter* & *populariter* audiamus, legamúsve, etsi etiam ἐν σώματι Paulum *raptum* statuamus, nihil est difficultatis, nam in transcursu phantasia nostra puerilibus præjudiciis imbuta, & memor *scalæ Jacobi*, prout eam indocti pictores depingunt, aliarúmque ejusmodi figurularum in quibusdam Bibliorum editionibus comparentium, nihil aliud concipit, quàm *atria quædam montium cacuminibus paulò altiora*, & intra horulas aliquot facilè conscendenda: Sic plebs gentilium olim facilè inducta est, ut crederet, *Atlantem* Nubiæ montem, esse columnam cæli astriferi; forsitàn idem sibi fingunt, qui in *Helvetia* nostra conspicantur montium cacumina nubibus nebulísve altiora, aut iis *pileata*; unde *Mons*

Non dissimulatis ejus difficultatibus.

Pilati fortè nomen fortitus.

Poëtarum lusus huc facientes.

Et his freti præjudiciis fingunt sæpe nobis *Poëtæ* commeationes è cælo in terram, & vice-versa sic satis expeditas, mirúmque est nonnihil, eos præter morem, integrum diem tribuere delapsui *Vulcani* è cælo in Insulam Lemnum, unde luxato crure deinceps semper claudicare miser coactus sit. Ad ejusmodi præjudicia sine dubio pertinet, quòd postdiluviani illi humani generis Proceres in mentem sibi venire passi sunt

cælum ipsum petere stultitiâ,

Hoc est, ædificare *turrim, cujus culmen in cælum eat.* Gen. II. vers. 4. A qua historia procul dubio ortum traxit fabula, in qua anguipedes illi *Titanes* Jovi in cælo movent bellum, Pelion Ossæ, aliósque montes montibus imponunt, & hoc pacto Jovis regiam expugnare volunt, quasi successuro conatu, nisi trepidus Juppiter maximæ *calybris* fulmina in eos jaculatus esset.

Istiusmodi igitur conceptus, velut struthiocamelini stomachi, facilè omnia digerunt, & redolent Stoicismum veterum, qui prohibuit quidquam mirari. Sed non ita bene nobiscum agitur, si mente intenta, & quasi proportionis normâ in manus sumtâ res indagemus, miracula Dei T. O. M. subinde reperturi non modio, nec trimodio, sed toto horreo.

Expensio hujus materiæ ex uranoscopia.

Astronomi omnes Judæi, Gentiles, Arabes, Turcæ, Christiani, & in his Pontificii, Protestantes, Copernicani, Aristotelici, Ptolemaici, Cartesiani &c. in eo conveniunt, stupendam esse

esse *cæli syderei* (de *empyreo* nec enim loqui possunt) distantiam, licèt in prodigioso illo milliarium aut diametrorum terræ numero non conveniant. Nostra memoria repperit quorundam in Anglia, Gallia &c. indefessa sedulitas glandem aut globum è tormento æneo vi pulveris pyrii emissum, si ea semper pernicitate, qua ex faucibus machinæ erupit, feratur, ad Solem non perventurum, nisi 25. annorum cursu. At sol nobis penè contubernalis videri potest (nempe *calefactor* noster) præ reliquis syderibus. Itaque videntur reperisse, si iste globus ad *Syrium* vel Caniculam, quæ fixarum infima est, & à cujus occasu *Heliaco*, isti quos vivimus dies nomen traxêre, pervenire velit, non absoluturum hoc iter intra *sexcenta annorum millia*. Et tamen *Syrii* à nobis distantia perexigua est, relata ad aliarum fixarum distantias. Qualis, verbi gratiâ, est *Aurigæ* in signo *arcti* seu *ursi*, quem cùm serenissimis noctibus vix oculi nostri videant, tamen globo nostro terraqueo *novies* majorem faciunt.

Suspicemur, si placet, nimium esse hunc computum, modúmque valde excedere. Sumamus igitur ejus *mediam*, vel *tertiam*, aut *sextam* tantùm partem, quò nemo astronomorum, quos quidem ego vidi, sese demisit. Vel sic distantia erit horrorem faciens, & captum humanum longè exuperans. Eorum certè captum, qui experiundo his bellis didicerunt, globum è tormento emissum quovis minuto secundo, i. e. arteriæ nostræ pulsu, minimum sexcentos,

pas-

passus emetiri posse. Quo perventurus horâ, die, anno, seculo, seculorum myriadibus. Vid. *Zvving. & Scheuchz. Phys.*

Rem ita sese habere solidissimis demonstrationibus evictum est, quas mihi afferre non foret difficile, sed non admittunt angusti prælectiunculæ carceres, nec fortè plerorunque Auditorum peritia mathematica aut optica eò progressa est, aut, observato nobilissimæ scientiæ vix excusabili contemtu neglectúque, progredi cupit, ut perspicua illis & jucunda hæc tractatio foret. Populariter itaque paucula aspergam.

De immensa cæli Syderei à nobis distantia.

Sumat quis in manus *tubum opticum*, quem potest habere optimum. Per eum contempletur ex edito aliquo loco, dum serenus aër est, loca, rupes, turres soli è regione positas, etiam multis milliaribus à se remotas. Videbit, pro ratione tubi, sexies, decies, vicies hæc majora, quàm oculo inermi. Contempletur dein serena aliqua nocte mirabilem illam *lunam*, nobis proximam, reperiet duplo aut triplo aut octuplo majorem, quàm nudo patuit oculo, & mirabilia multa jucundè contemplabitur. In Veneris, Mercurii, & Martis contemplatione idem illi eveniet, sed gradu multò minore. Ut solem aliquis contempletur, non suadeo, ne illi contingat, quod mihi ante triennium, quo memorabilis illa contigit Eclipsis, hanc operam nimiùm curiosè navanti, & aliquot dierum luscitate exin multato. Verùm compensata mihi hæc est castigatiuncula observatione,

quam

quam me certissimam cepisse persuasissimus sum; videlicet, cùm illa fieret eclipsis, non planè Lunam in Ecliptica decurrisse, sed paulò infra, adeóque eclipses evenire posse, & evenisse, & eventuras esse adhuc pleniores. Si bonus est tubus, Saturnus & Juppiter satellites suos prodent, & prior etiam admirabilem illum annulum suum, posterior fasciam; sed bonum requiro tubum, nescio an apud nos facilè reperiundum.

Jam verò age exquire tibi optimum, qui sit vel Parisiis, vel Londini, vel Norici, vel Florentiæ, & per eum capta stellas fixas. Tantum abest, ut majores tibi appareant, ut potiùs minores & circumciriores visurus sis, scintillatione videlicet compressâ. Tantundem igitur hinc proficias, quantum Astronomi ex captato παραλλαξέων experimento, hoc est, ne hilum quidem, nisi quòd perspicias, esse chasma omnibus modis stupendè μέγα, ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως τοῦ Θεοῦ, πλάτος, καὶ μῆκος, καὶ βάθος, καὶ ὕψος inexplicabile, ut *in gratia*, ita & in *natura*, atque prorumpas; *Quanta sunt opera Tua ô Jehova:* Item: *Cæli enarrant gloriam Dei &c.* Item ex Job. XXII. 12. *Nonne sublimior Deus est cælo? Vide summitatem stellarum, quàm sunt excelsæ!* Sacræ Scripturæ de hoc negotio expressiones.

Verùm nihil mihi videtur magis ad hanc rem facere, quàm solens illa in sacris expressio, quâ Deus *viarum suarum, gratiæ misericordiæque altitudinem* depingit: v. g. Esaj. LV. *Sicut altiores sunt cæli, quàm terra, sic altiores sunt viæ meæ,*

meæ, quàm viæ vestræ; Sic Psalm. XXXVI. *Misericordia & veritas Domini idem habent culmen quod cæli.* Et Psal. CIII. *Secundùm altitudinem cæli supra terram roborata est misericordia Jehovæ &c.* Hæc mihi aliquis Theologicè primùm perpendat, atque ad amussim ὑπερβολὰς divinæ, præcipuè *in Christo Jesu* exertæ, & abyssos, seu infinitates meras redolentis, consideratè exigat, quæ, quæso, illi cogitatio surget de collata hac cælorum altitudine? Certè tantam reperiet, quantam neque tubi, neque calculi, neque mensuræ, neque cogitationes ullæ assequi possint.

Celeritas raptus Paulini.

Eò tamen *raptus* est Paulus, ut suspicatur, *cum corpore*, indéque rediit, neque viginti annis, ut ille olim Ulysses, abfuit, fortè neque tot horis; Hoc, Auditores, est *rapi*, hoc est esse *celocem*, non *corbitam*. Præ hac celeritate jam omnis alia celeritas, quam sive natura sive ars exhibet, mera est cessatio, Glandes tormentorum, sagittæ, meræ sunt cochleæ, Fulminum ignes ipsi *attrepidant formicinum gradum* &c.

An dentur alia ejusdem pernicitatis exempla? v. g. raptus firmamenti diurnus.

Duo tamen afferri posse videntur, quæ celeritate non inferiora videri possint. Alterum esset raptus firmamenti totius circa terram ceu centrum suum intra horas viginti quatuor, & minuta tertia circiter 8. Quòd si Paulus ejusmodi passibus esset usus, habuisset ad summum usque cælum sydereum horas circiter 8. ventúmque semper vehementer ex obliquo spirantem, præsertim quò altiùs perveniisset; Quo incommodo ex parte saltem etiam laboravit,

si

si *Carteſii* cælum & *vortices* illos tranavit. Verùm ei rei facilè proſpexerit divina potentia, nec in eo ſcrupuli ſedes; Sed quia ille firmamenti raptus, *quo jure quáve injuria*, hodierno die plerisque eruditis non admodùm veroſimilis fit, atque commodior iis viſa eſt hypotheſis contraria, de ſolis & firmamenti quiete, & terræ cum reliquis planetis vertigine, quam tamen cum S. Scripturæ effatis hactenus nondum rectè conciliâſſe videntur, ſumamus è phyſicæ, experientíæve penu pro exemplo aliam celeritatem, certè μηδὲν ἀναβαλλόμενον;

Nempe *radiorum ſolis*, aut aliorum quorumvis ſiderum. Radii iſti res ſunt ſine dubio corporea & ſubſtantioſa. Secus enim oculos noſtros, & nervos opticos, puras putas qualitates, in ſe agere nunquam paſſuras, ferire, & vellicare non poſſent. At quàm ſunt in promptu ad oculos noſtros illuſtrandos, cum Sydus aliquod ſupra Horizontem emergit! Qui eclipſin illam An. 1706. attentiùs luſtrârunt, viderunt in ejus fine quamprimùm Sol vel tantilla peripheriæ ſuæ parte rurſum emicuiſſet, quaſi nimbum aliquem liquentis auri ſubitò in terram & oculos noſtros effuſum. Ne jam dicam de fulguratione accenſarum nubium, quam quaſi *in inſtanti* oculi ſentiunt, fragore non niſi poſt minuta pauca multáve pro altitudine nubis tonantis ſubſequuturo. Radiorum ſolarium curſus.

Iſta itaque lucis pernicitas cogitata, faciliorem ſine dubio reddit cogitationem, quo pacto Paulus ἐν σώματι in corpore ἀϊδιοβάτης evadere,

dere, & per momenta aliquot pro glorificato vela dare potuerit, si Deus ita voluit.

Objectio expedita.

Dices forsan; frustra sumi hanc radiorum lucis celeritatē; cùm non in cursu, sed in pressione & nisu globulorū consistat, ita ut quemadmodum baculus seu contus in parte citima propulsus, statim in extima quoque progrediatur, sic globulos sibi perpetua serie usque ad oculos nostros assidentes, presso primo, universos conniti & ultimum, qui jam pridem aderat, visum nostrum illa pressione adficere &c. Quod Cartesii est δῶρημα. Verùm ego respondeam, potiùs frustra sumi illam *pressionem*. Præterquam enim, quòd S. Scriptura luci vias tribuit, eásque *imperveſtigabiles*, Job. XXXVIII. 24. id quod falsum esset, si *pressio* est, & eam Cartesius *perveſtigavit*: nunquam, qui hac nititur hypothesi, rectè explicabit, quomodo tu illinc, ego hinc, imò nostrum mille in circulo positi idem simul punctum videamus, aut quomodo ex aliis remotis vorticibus quicquam nobis luceat. Quin imò pro eo ac Cartesius vorticum pomœria, & globulorum itinera metatus & commensus est, penè non video, quid in Mundo videamus, quàm solum solem.

Supereſt itaque, ut in pernici ista luminis communicatione aliquid decurrat ipsis globulis longè agilius, & cui globulorum, quamvis densata acies sit horsum prorsum penitùs pervia, cui rei forsitan inhæreremus, nisi ad Paulum nostrum redeundum esset. Habemus igitur, ut puto, exemplum in ordinario illo mi-

miraculorum divinorum Amphiteatro, *naturæ* celeritatis, Paulino raptui, si *ei in corpore* contigit, comparabilis, & eam explicabiliorem reddentis. Nos quoque, Auditores, olim post illam παλιγγενεσίαν corporum nostrorum in cælum supremum avehendi sine dubio nullas eo itinere consumemus moras, nullos dies, nullos annos, nedum secula. Corporum glorificatorum planè alia est ratio, quàm mortalium. Servator quoque noster cælos omnes tranans sine dubio per *œconomiam* quandam initia hujus itineris lentiora fecit, ut illum sequentes oculis suis discipuli tantò majus fidei de ascensionis ejus veritate caperent incrementum, sed pòst dissipatâ visus eorum acie expeditioribus usus est alis, ut decuit corpus glorificatum.

Servatoris nostri ascensio.

Et hæc dicta sunto de 3. cælo inque id Pauli raptu. Cæterùm in his sine dubio cæcutimus, ut initiò dixi; Multæ nobis, eæque, nostro judicio, non incongruæ cogitationes surgere possunt, si *terræ* nostræ promissam in Sacris *innovationem, judicium ultimum interim in nubibus habendum*, si *lunæ* admirabilem structuram, si *Planetarum maculas, fascias, & satellites, Saturni* inprimis stupendam figuram, *annulo* suo quasi geminum theatrum nobis sistentem, si & hos, & fixarum quasdam *atmosphæra* aliqua dotatas, unde & *nebulosarum* nomen sortitæ sunt, si deinceps *novos stellarum ortus* & aliarum *interitus*, si denique dignissimam stupore illam *Galaxiam* contemplemur, collatis Christi verbis: *In domo Patris mei mansiones sunt multæ*, &

Conjecturæ multæ hîc locum habere possunt.

hauſtis à nutricularum, vel etiam præceptorum uberibus *præjudiciis* nonnihil ſepoſitis. Multa, inquam, in mentem venire poſſunt, multiplici *veroſimilitudine* blandientia. Verùm is mihi ſapere videtur, qui intra cancellos Sacri codicis ſeſe religiosè continens, non vult ἐμβατεύειν ἃ μὴ ἑώρακε, niſi δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι. Veniet, veniet illa dies, qua quisque noſtrum in fide Domini quondam has terreſtris vitæ nebulas egreſſus, poſitis novus exuviis nitidúsque juventa jucundiſſima illa ſpectacula coràm & cominus perluſtrabit, uſum cum aſpectu feliciſſimè habiturus.

Paradiſus. Dixi jam nuper, & ut exiſtimo, probavi, *Paradiſi* vocem, quam Paulus relationem ſuam repetens, pro 3. cælo ponit, explicativè ſumendam, h. e. non pro novo & alio loco in quem delatus ſit, ſed pro adumbranda ejus jucunditate inexplicabili. Erat hæc phraſis & vox Pauli ætate & diu antè inter Judæos uſitatiſſima, novis quoque Chriſtianis familiaris reddita. In utriusque Teſtamenti codice, *Joſepho, Thalmude, Strabone, Xenophonte* aliisque exoticis crebrò comparet, notatque regionem, in qua amænitas potiùs quàm utilitas captatur, *viridarium, vivarium* & ſimilia. Si oſtentationi litare vellemus, poſſemus eorum teſtimonia fusè adducere, de *paradiſi* etymo & *ſitu* diu ſive philologari ſive ineptire. Verùm id eſſet vagari extra oleas, nec enim Paulus de Paradiſo terreſtri ſermonem habet. Videant qui velint, *Mercatorem, Bochardum, Heideggerum, Seldenum, Hueti-*

Huetium, Clericum, Spanhemium, Loydium, Dicelium, Relandium & sexcentos alios, fortè tamen nulla ex parte præferendos judicioſiſſimo & eruditiſſimo noſtro *Bullingero*, comment. in h. l. Nos, alienarum mercium abſtemii, quædam propiùs fortè ad ſcopum factura paucis aſpergemus.

Obſervationes de hoc titulo ſedibus beatorum dato.

a. Quando S. Scriptura expectandam illam poſthumam felicitatem noſtram, Paradiſi nomine adumbrat, quid aliud, quàm conſcientias noſtras vellicat, ut prorumpamus cum illo pocillatore Ægyptiaco: *Peccati mei reminiſcor hodie.* Gen. XLI. 9. Ecce enim mentionem boni pudenda noſtra culpâ æquè *amiſſi*, quàm divina clementiâ poſtliminiò promiſſi. Itaque docemur inter ſpes futuræ felicitatis, ſemper etiam alere pios dolores de infelici illo fato, quod nos ex primæva felicitate exædificavit. Planè enim hæc *commemoratio* ſimul quædam *exprobratio* eſt, quaſi *immemorum beneficii*, ut cum Terentio loquar.

b. Præterea, ſi homo non tantùm *nihil meritus eſt*, ſed etiam *nihil fuit*, quando illum Deus in Paradiſum illum caſcum collocavit, colligamus quæſo (ſi naſum habemus) reſtitutionem illam in Paradiſum longè lætiorem multò minùs prægreſſis meritis noſtris deberi, & in hoc noſtro itinere dicamus quod Paulus, v. 11. οὐδέν εἰμι, *Nihil, ſive, nihili ſum.* Et quod David, ſi tamen hoc ſenſu: *Bonum meum nihil ad Te.* Pſal. 16.

c. Obſervemus porrò amabilem illam S.

Scripturæ συσκαπάζασιν: Vult illa nobis salivam quasi movere futuræ in cælo felicitatis: Vult ipse Deus nonnunquam specimina & promulsides exhibere suis, quod Paulo nostro factum. Jam si hæc ostentatu solius illius *transcendentalis & mentalis felicitatis*, quæ sine dubio etiam sola vera est, confierent, hebescerent forsitan oculi cogitationésque nostræ, nimia & unica penè aspectabilium assuetudine incoctæ. Cùm itaque tralaticio omnium hominum nationúmque sensu gustúque nihil delicioſius videatur hortis, pomariis, vivariis, ea specie nobis cælestem illam felicitatem adumbrare neutiquam gravatur. Non sanè ut, Muhamedico aut Pontificio crassissimo more; talia in cælo futura cogitemus, (neque enim ea cupituri simus,) sed, ut hâc, quasi quadrante nostris τοῖς νῦν conceptubus imagine, inescati delicioſissima omnia speremus, inprimis verò propinquam fruitionem *arboris vitæ*, h.e. Domini nostri Jesu Christi, in *medio Paradiſo* patulo tegmine sese surrigentis, & exporrigentis.

Ejus multiplex congruentia.

d. Et consideremus quæso, quàm fertilis sit Beatitudinis cælestis cum Paradiſo comparatio. Reges, principes, aliíque quibus stolida illa *Tyche*, & temulentus ille *Plutus* densiores tulêre amplexus, nulla alia re vel magis gaudent, vel magis luxuriantur, quàm hortis. Ipse Solomon adeò hanc magnificentiam extendit, ut sumptuoſissimos suos hortos *Paradiſos* vocare audeat. Eccl. II. 6. Nil dicam de *Ahaſueri hortis*, nil de *Cyri* apud Xenophontem viſendis, nil de

de *Semiramidis* horto pensili, nil de *Luculli, Claudii, Drusi, Mecœnatis, &c.* hortis. Bonus ille Homerus quanta Musæ suæ contentione depingit hortos *Alcinoi* Phæacum Regis? Et tamen *Jesuita Renatus Rapinus*, pro eo ac hoc hominum genus alludiare est longè doctissimum, & hos & illos hortos omnes mera & miserabilia senticeta esse autumat præ hodiernis *Regiis in Gallia* hortis. Dissert. de hortensi cultura. p. 9. seq. Neque hâc hyperbole abstinent, qui *Belvederenses, Bourgesianos, Farnesianos* Romæ, *Florentinos, S. Laurentianos* & *Buenretiranos* in Hispania aliósque in Europa & Asia innumeros celebrare volunt.

At compone hos omnes, vel saltem confer in unum, quicquid exquisitissimum quisque habet, quid sunt ad Paradisum terrestrem, Adami olim habitaculum? Nugæ meræ. Ligones, sarculos, stercorationis adjumentum, sudores exposcunt, grandinum nimborúmque injurias sufferunt, mortes hybernas vicissitant, nullus eorum *ægroto domino deduxit corpore febres*, atque animum sollicitudinibus liberavit, nullus eorum *arborem fructúmque vitæ* dapinat, nullus pignoris & *sacramenti* loco est favorem divinum repræsentantis (id quod forsan his diebus annosus ille Clodoveus satis experitur, si quando hortorum suorum ambulacra cogitabundus pererrat) At hæc omnia planè contrario modo sese habent, ah! quid dico habent, imò habuissent, Chreme, in illo Paradiso Asiatico, si sapere ille nostri generis Pater voluisset.

Paradisi Cælestis ἔξοχή.

Jam verò quantùm Paradisus terrestris exsuperavit regales quosque & delicioſissimos hortos, tantùm, imò millies magis terrestrem exuperat cælestis. Non equidem *aut auris audivit, aut oculus vidit, aut cogitatio complexa est*, vel, si id Paulo aliisque contigit, *lingua* eloqui potuit, quanta ibi sint deliciarum latifundia. Attulit tamen Paulus, velut explorator eò missus & admissus primitias & fruges quasdam, quas ut potest, gustandas propinat, tum passim alibi, tum in his duabus scutellis, epistolis ad Corinthios. In terrestri Paradiso *serpenti, Diabolo*, & hujus inventioni, *peccato*, simúlque *venenatis mortiferisque frugibus* locus fuit. Nullus his in cælesti. Ille itaque colonorum suorum parum fuit tenax, quin potiùs exspuit eos in malam maximam crucem, admodùm in eo pro dolor! *præcox*. At noster non ita *nostris statio malefida cabinis*, æterno nos asseret complexu, οἰκοδομὴν αἰωνίον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. 2.Cor.V.1. Lauream nobis progerminabit ἄφθαρτον, καὶ ἀμίαντον καὶ ἀμάραντον, 1.Pet.I.4.

Jucunda est, Auditores, hæc cogitatio, & parum abest, quin me nonnihil auferat, quod enim potentius ἀλεξιφάρμακον, ad dissipanda vitæ hujus fastidia? Hac gustata *loto* oblivisci & temnere licet omnes vitæ miserias, omnes novercantis fortunæ malas operas, omnes inimicorum amicorúmve insidias, machinationes, & præstigias, omnes honestis conatibus injectas tragulas, uno verbo, vitæ hujus scabitudines, quantumvis multas, quò quis est hone-

nestior, omnes, & dicere cum cornicula Tarpeia: ἔσται πάντως καλῶς: *Non si nunc malè, & olim sic erit, dura anime & rebus Te serva secundis,* vel potiùs cum sacro vate: *Dicite justo; benè rem succedere, quia fructum operum suorum messurus sit,* Esa. III. 10. Item: *Certus sum, bonum fore timentibus Jehovam, quòd ipsum ob oculos habuêre.*

Gesta Pauli in tertio cælo.

Jam deinceps cognoscere est operæ pretium, quid in 3. cælo seu Paradiso, Paulus negotii habuerit? Homeri dicterium est

Αἰσχρὸν τοι δηρόν τε μένειν, κενεόντε νέεσθαι

Turpe est mansisse diu vacuumque reverti

Non potest istud in Paulum jactari. Rediit enim ex paradiso onustus & frugibus & floribus Infra nominat ὑπερβολὴν τῶν ἀποκαλύψεων, excellentiam quoad *quantitatem & qualitatem, intensivam & extensivam,* ut paulisper cum Philosophis loquar. Sunt itaque ἀποκαλύψεις *revelationes,* novæ notitiæ, eæque lætissimæ, ut sine *expresso capistro* vix eas intra se continuisset Paulus noster. Ubi meritò in mentem nobis veniunt verba Ciceronis, aut potiùs Terentii Archytæ, aut Archytæ Tarentini, aut quemquem Philologus lector mavult? *Si quis,* inquit, *in cælum ascendisset, naturámque mundi, & pulchritudinem syderum inspexisset, insuavem eam admirationem ei fore, quæ jucundissima fuisset, si aliquem, cui narraret, non habuisset.* Sed Paulo nostro negatum fuit tale voluptatis complementum, ut s. t. videbimus. Nunc ejus verba pensitemus: ἤκουσεν (scil. ὁ ἄνθρωπος, homo mihi notus,

& *matris meæ filius*) ἤκουσεν ἀῤῥητα ῥήματα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι. Hæc verba prima fronte & antilogiam & tautologiam resipere videntur. Nempe si ῥήματα quomodo ἀῤῥητα; & si ἀῤῥητα, quomodo ῥήματα; Et quid opus addere, *quæ non licet homini eloqui*, si ἄῤῥητα jam dixit? Sed intentiùs rem introspecturi, facilè reperiemus *Paulum* semper *Paulum*, h. e. ne syllabam quidem nisi considerate & nova cum vi ponentem.

Difficultas in verbis Pauli.

Ἀῤῥηταῥήματα.

ἈῤῥηταVulgatus & Arias interpretantur *arcana*. Syrus *verba, quæ non dicuntur*, admodùm obscurè, ne dicam ineptè. Nam fuit aliquis λαλῶν & Paulus *auditor*. Ad auditorem itaque Paulum illud ἄῤῥητα referendum est, ut sit sensus; sive *potestatem*, sive *potentiam* Paulo negatam, ut audita efferret. De *potestate* plerique interpretes intelligunt, ego de *utraque* malim. Neque enim vel in terris rarum est nobis dici talia, & tali modo, ut ea, etsi forsan liceret, verbis nostris exprimere & exponere neutiquam possimus, mente videlicet nostra per illam perceptorum insolitam novitatem planè confusâ, & voces sequaces planè denegante. Sic apud Virgilium:

Obstupuit varia confusus imagine rerum
Turnus & obtutu tacito stetit

Cæterùm sanè & *potestas* negata intelligi debet, reservantur enim quædam futuro seculo, in hocce neutiquam propalanda, & quæ *ordinariè auris non audivit*, nec audire debet. Videatur 1. Cor. XIII. Vidimus jam supra, mysteria quædam

dam veteri Ecclesiæ fuisse tecta vel ipsis Angelis, & demum sub novo Testamento notificata. Jam cùm sine dubio minor distantia sit Ecclesiæ Vet. T. ad Ecclesiam N. T. quàm verò hujus ad *triumphantem*, & πνεύματος δικαίων τετελειωμένων. Quis miretur & illi clausa esse quædam demum in illis subselliis discenda? & si quis extra ordinem ea gustaverit, jussum esse digito compescere labellum? Neque enim Paulus ad Gentes est missus, ut præcociter de *Glorificationis circumstantiis* eas erudiret, sed ut de viâ ejus consequendæ omne Dei consilium annunciaret, idque intra Mosis & Prophetarum cancellos. Si quid peculiare & ulterius vidit audivítque, faciebat nonisi eò, ut extraordinariis luctis exercitus & exercendus, extraordinaria quoque mulciretur & fulciretur consolatione, ut supra diximus. Et sic puto sine antilogiæ periculo suo stare talo ἀῤῥητος nostri ῥήματα. Quæ antequam porrò tentemus, visendum est, quid sibi velint illa: οὐκ ἔξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι. *Camero* ambigit, annon forte illud ἀνθρώπῳ referendum sit ad τὸ λαλῆσαι, ut sit sensus; non esse fas denudari illa mysteria alicui homini, aut *hominem aliquem eorum reddi participem*. Sed hoc miserum est, ut sunt audaculi hominis penè omnia. Ejus enim mente supponeret Paulus, fas esse talia dici Angelis, aut ipsi Deo, quo quid magis frivolum? Mens itaque Pauli hæc esto: Nefas esse, ut talia homo mortalis enunciet Sed cùm id videatur coincidere cum τῷ ἀῤῥητος, neque

Sensus verborum: *quæ nefas homini eloqui.*

adeóque tautologia sic evitari, videndum est annon singulari aliquo modo id Paulus hîc neget. *Coccejus*, aliíque interpretes bene multi sic intelligunt, ut Paulus dixerit; se audivisse verba, quæ non quisquam alius, quàm verus Deus & Jehova ἀπαξ εἰρημένως usurpare potuerit, quæque adeò ex meri hominis ore ritè fluxisse non possent, ut adeò Paulus sic *connotet Deitatem Jesu Christi, tunc sui collocutoris.* Conferunt locum Joh. III. 31. seq. Plausibile sanè: Sed expendat tamen lector judiciosæ simplicitatis amans, annon malit verba intelligere ut in cujusque auribus primo statim momento sonant: q d. *Audivi quæ dici non possunt, & quæ dicere non licet.* Interpres vobis esse *nec possim nec ausim.* In voce ἀνθρώπω sine dubio tacitum est indicium, Deum posse esse foréque olim nobis τῶν παραδειγματικῶν *interpretem* Psal. XCI. fin. *Ego ostendam illi salutem meam*;

Quod *Melchisedeco*, quem S. Scripturâ ἀπάτορα, ἀμήτορα, καὶ ἀγενεαλόγητον nobis propinat, evenit, ut certatim interpretes, Theologi, usque ad *Fabularum Romanensium consarcinatores* divinent, *quod genus, unde domo* fuerit, quis ei Pater & mater? Id ipsum evenit his mysteriis Paulinis, Paulo ea sunt ἄῤῥητα: Sed non pauci *tormentatorum*, illud volui dicere *commentatorum* Sacræ Scripturæ conati sunt evolvere nubem, quam non potuit Paulus, ajunt enim; in Paradiso actum *de Mysterio S. S. Trinitatis, vel de Mysterio prædestinationis, vel de Mysterio vocationis gentium* &c. Per me Pauli ἄῤῥητα maneant

ἄῤῥ-

ἀρρητα & in *thesauris Dei nostri obsignata*, donec in universali illo nostro raptu referentur olim, revelante Deo. Phil III. 15.

Habemus, Auditores, in historia veterum Helvetiorum, quos *Majores nostros vulgò* putant, narratiunculam, quæ nonnihil huc facit, aut huc *torqueri* certè potest. Fuit aliquis eorum, qui mercimoniorum causâ superatis Alpibus in Italiam, illum Europæ paradisum, penetravit, unde plenos retulit vidulos ficubus, pomis aurantiis, dactylis aliisque dulcissimis frugibus. Distractâ inter populares hac merce, & salivâ undique commotâ, uno omnium ore, nescio in quibus comitiis, decretum est, linquere, imò cremare hæc hospitia, pauperúmque tuguriorum congesta cespite culmina (urbes 12. pagos 400.) Italiam petere, Italiam subjugare, Italiam deinceps arare, veteribus colonis migrare jussis. Non successit elegans commentum, quia videlicet aliter visum fuit Romanorum, duce inprimis J. Cæsare, copiis, ad Rhodani crepidinem molestas nostris moras facessentibus, & ad veteres focos redire eos compellentibus. Hac itaque non successit, aliâ aggrediamur via! Paulus noster in Paradiso fuit ipsissimo. Redit non saginatus tantùm, sed & onustus deliciis dulcissimis, vel adeò ut supra captum & ejus & nostrum sit earum dulcedo. Nobis, quæso, id salivam moveat, ut spretis his terræ senticetis & sterilibus campis, omissâ miserabili & excruciabili divitiarum, ditandorum ingratissimorum nepotulorum, ho-

Comparatiuncula totius narrationis Paulinæ cum eo, quod antiquitus in Helvetia contigit.

honorum, præcedentiarum, celebritatularum curâ & culturâ, omnes connitamur in paradisum, ad messem illam verorum bonorum, pietatis subvecti curribus, atque per amorem Dei, & rerum divinarum, *ibi simus ubi non sumus, & non simus, ubi sumus, vitâ nostrâ cum Christo in Deo absconditâ.* Succedet, recipio, conatus. Ecce enim quid ille Paradisi κηπουρὸς Jesus, Julio Cæsare immensùm facilior dicat: *Ad me qui venit, eum non repellam.* In quo bono omine finio, post octiduum, si Deus permiserit, ad sequentia, inprimis *Scolopem* Pauli nostri venturus.

PRÆLECTIO IV.

In vers. 5.6.7.

Difficultas in versu 5.

VIdimus nuper quò raptus sit Paulus, & quid illi contigerit. Sequitur, ut expendamus, partim, quale interserat de narratis judicium, partim, quid proporrò sibi accidisse referat.

Prius habetur vers. 5.6. his verbis: ὑπὲρ τοῦ τοιούτου, κλ. Verba hæc non adeò plana sunt, *Cocceius* parumper sudat, & *Bullingerus* quoque in iis agnoscit ἀσύστατον, sed spero sine asystati ope commodè explicari posse. Dicit Apostolus: ὑπὲρ τοιούτου καυχήσομαι subintelligunt ἀνθρώπου. Verùm non erat necessarium. Imò planiora omnia sint, si fingamus Paulum intellexisse

περὶ γ-

πρᾶγμα *rem & historiam* præcedentem, quasi diceret: *de hoc raptu* gloriabor, & hic sensus pulcherrimè convenit cum versu 7, ubi Paulus innuit, non simpliciter τὸ καυχᾶσθαι, sed τὸ ὑπερφέρεσθαι *immodicè efferri* sibi prohibitum esse. Certè enim aliqua καύχησις, *gloriatio* in beneficiis divinis justa est, & decora. Hæc est thema multorum psalmorum Davidis, & ipsi Paulo valde usitata, coinciditque cum gloriatione de propriis infirmitatibus, nec enim miserationes & benignates divinæ satis rectè laudantur, & extolluntur, nisi in altera lance propriæ vires & dignitates in imum subsidant.

Quòd si tamen verba ὑπὲρ τοῦ τοιούτου omnino aliter explicare nolis, nisi *super hoc homine*, quia videlicet jam 2. versu bis ὁ τοιοῦτος hoc sensu, imò & addita voce ἄνθρωπος comparet, existimemus, Apostolum quasi in duplici σχέσει sese considerare, ut *altera* gloriari velit possitque, *altera* non. Atque id eruditè redolet vocula τοιοῦτος, *talis, taliter qualificatus, consideratus.* Atque ita sit sensus commodissimus hic; *De homine illo, quatenus subjectum extitit & theatrum quoddam singularium Dei munificentiarum, non possum non gloriari*, quia id nil aliud erit, quàm laudare Deum, *verùm quatenus ego ipse ille fui homo, præ alio aliquo, id nullam existimo gloriandi vehere causam.* Verbo, *non Paulum his commendo & celebro, sed Deum.*

Et hîc recogitemus quod supra jam observavimus, Paulum dedita opera abhorrere velle ab illo Pseudapostolorum sine dubio stylo: Rursus considerata Pauli modestia,

lo: *Ego sum ille*; Nos poma natamus &c. Hos mordet (nec enim id ab ingenio Pauli abludit) subdens, ὡς ἐμοῦ δὲ, *de mea persona*, non gloriabor, nisi infirmitatibus meis: q. d. plus satis est eorum, qui cuculorum instar proprium suum nomen semper cantillant, & in plausibilibus se nominant, non me hæc pungit urtica, imò si me, quatenus *Paulus* sum, respicio, rectè *paulus* vocor, *piccolomini*, nihil gloriæ reperio, quàm infirmitates, σήγματα Christi Gal. VI. 17. quæ illi fortè nec velint, nec venditent.

Breviter, vitat & trepidat dicere sibi illustria illa contigisse, & τῆς περιαυτολογίας est fastidiosissimus. Neque incongruum est, quod observant quidam interpretes, supponere Paulum, ne tum quidem non glorioſam sibi fore hanc historiam, si alii cuipiam ὁμοδόξῳ obtigisset, quemadmodum olim Israelitæ cuique glorioſum erat, Mosen, Aaronem, Nadabum & Abihu, & LXX. seniores ascendisse in montem ad Deum, eúmque familiariter vidisse. Exod. XXIV, 10. 11.

Paulus obliquè æmulos mordens.

Pergit Apostolus: *Si enim voluero gloriari, non ero insipiens, veritatem enim dicturus sim.* Iterum hîc est norsus in æmulos, quibus obliquè *stoliditatem*, & *mendacia* objectat, quod judiciosissimus noster *Bullingerus* observat. Nempe verosimile est, & ex veterum comædiis liquidum, olim fuisse *tout comme icy*, & *comme aujourd' huy*, *thrasones* nempe, si attentos & credulos, & simplices essent nacti auditores, inprimis

femel-

femellas, attonita & avida attentione ad plus mentiendum quasi invitantes, stultis sui encomiis & audacibus mendaciolis ita esse grassatos, ut quis cordatus per rimam aliquam sermonem sublegens, vix potuisset syncrusio risu non rumpi.

Cordatè igitur hoc periculum à se Paulus removet. Primùm *negans se, de se ipso scilicet gloriari velle*: Deinde asserens, *si vellet facere, nullum fore discrimen, ut le bons sens, aut veritas quicquam periclitaretur*. Unde certè tantò illustrior evadit Pauli aut abstinentia aut parcitas.

Oggerat aliquis, Paulum cap. præcedente, non semel se *stultitiæ* postulâsse, quòd quædam honorifica de se propalaret, quommodo ergò negare hîc posse, *fore stultitiam*? Respondeo. Facetè potiùs & satyricè & mordaciter stultitiam vocâsse, quàm seriò; nam si seriò stultitiam putâsset, non commisisset, satis scio. Et non dissimili schemate 1. Cor. I. 21. 25. dixit *stultitiam Evangelii, stultitiam Dei*. Atque hoc vel hodienum in usu est viris judiciosis, & nasutis, cum diu tinnientes & *rodomuntadas castellanas* effutientes quosdam *Pyrgopolinices* patienter audiverunt, tandem & de suis gestis obiter aliquid aspergere, & mox se stultitiæ postulare, quasi medium ostendentes unguem, Horatiano illo sensu:

—— *Mutato nomine de te*
Fabula narratur ——

An rectè tribuamus Paulo facetias & morsus?

Heic per parenthesin fortè non absre est, illis occurrere, qui, ut suspicor, jamdudum indig-

dignantur, *me Paulo tribuere facetias, & figuras mordaces*, eóque minus, quod id ſtyli genus etiam in ſequentibus forſan obſervaturus ſim. Verùm, qui id vitio vortat, eum primùm declaro hoſpitem ut ferè mos eſt, in ſapidiſſimis Majorum noſtrorum ſcriptis, v. g. *Bullingero*, (quem jam ſupra ironiam in Paulo repperiſſe monui, quam tamen pro tunc agnoſcere verecundatus ſum) *Gualtero*, aliiſque penè omnibus. Ne de *Eraſmo*, *Grotio*, *Pricæo* & ſimilibus dicam. Deinde eundem declaro hoſpitem & luſcioſum in ipſo Paulo, imò tota S. Pagina. Pauculis exemplis, cùm poſſem innumeris, rem tranſigam. In hoc ipſo capite noſtro, & hac ipſa materia, quàm argutum & feſtivum eſt illud: v. 13. ὃ κατενάρκησα ὑμῶν; χαρίσασθέ μοι τὴν ἀδικίαν ταύτην. *Non obtorpui vobis*, h. e non inertia, aut ſuſtentationis flagitatione, ut videlicet pulchri illi rivales mei, vos oneravi; *condonate mihi, quæſo, hanc injuriam* item illud cap. XI. 7. *Num peccavi meipſum humilians, ut vos exaltemini, quod, inquam, vobis gratis Evangelium annunciavi?* Cui dicto Paulino neutiquam feſtivitate cedit, ſed planè collacteum eſt illud Servatoris noſtri lapidationem a Judæis ſubituri, Joh. X. 31, *Multa bona opera* (beneficia) *à Patre meo oſtendi vobis, propter quod illorum me lapidatis?* Ita aculeum, & jocum & ironiam ſimul habent ſequentia Paulina: cap. præced. v. 19. *Libenter ſuffertis deſipientes, velut me, quòd ſitis ſapientes.* Item cap. X. 12. *Nos non ii ſumus, qui nos audeamus jungere, aut aqui-*

(Hæc jam ſupra attigimus, in *Idea.* ad Eph. V. 4.)

æquiparare quibusdam, qui se ipsos commendant, non intelligentes, quòd ipsi sese metiantur se ipsis, & sibi ipsis sese comparent? Nihil possit hac oratione fingi salsius, atque facetum magis. Sic 1. Cor. IV. 8. *Jam saturi estis, jam ditati, absque nobis jam regnum adepti, atque utinam regnaretis, ut & nos vobis conregnaremus* &c. Et quid illo festivius Philem. v. 21. *Confido, frater, te me exauditurum, ut qui nôrim, te etiam supra id, quod peto, facturum esse.* Talia alibi dudum congessimus, nec pœnitet, unde id saltem repetimus, non in *Anacreonte*, sed in S. Scriptura, præter alias inexplicabiles delicias, *esse passim jucunditatem quandam inaffectatam, sed quam nulla affectatio consequi possit.*

Spiritus itaque Sanctus ejus dictator & author, prout in quemque suorum ammanuensium incidit, satis habuit cavere, ne quid in tradendo consilio Dei errarent, aut hallucinarentur, cæterùm usus quorumq; genialissty-lo, Davidis Poëtico, & Epico, Solomonis philosophico, & florido, Jesajæ charactere grandi, Jeremiæ & Ezechielis humili & plebeio, Johannis simplici & dulci, Lucæ Attico & historico, Pauli conciso, negotioso, potenti, res magis, quàm ἀντιπόδους aut periodos aptè complendas satagenti, & de cætero, ut dixi arguto & aculeato. Id verò si quorundam tetricitati non placet, habent cum quo agant, nempè Sp. Sancto.

Revertamur ad textum: Removit Paulus falsam omittendæ aut circumcidendæ

Verissima causa abstinentiæ Paulinæ.

gloriationis causam. Nunc aliquam ex veris, & sollicitudinem suam titillantibus adfert: Ea hæc est: φείδομαι δὲ, μή τις εἰς ἐμὲ λογίσηται ὑπὲρ ὃ βλέπει με, ἢ ἀκούει τι ἐξ ἐμοῦ. Φείδομαι hîc est ipsissimum φεύγω τὸ δοῦναι, *refugio dare aut exhibere, prætereo, silentio involvo.* Innuit Paulus, non deesse fundos, si promus esse vellet. Si quis subintelligere velit ὑμῖν seu potiùs ὑμῶν, *parco vobis* ut 1 Cor. VII. 28. innueret Paulus, nonnisi sinistram frugem & damna pro ædificatione ex ejusmodi buccinationibus manare, vel potiùs innueret, *sævo pudore Corinthios confusum iri, qui tantillos tanto æquassent.* Dici etiam posset, *parcere sibi,* ut sanè sibi sapienter ab invidia & calumnia parcunt, qui malunt ingloria quàm gloriosa de sese proferre. Sed ipsum Paulum audiamus: *Ne quis de me cogitet, supra quod me esse videt, aut quod ex me audit.* Ἔμφασις est in illo εἰς ἐμὲ, quod vertimus *de me,* nam propriè est *in me,* q d. Apostolus; ne quis ratiocinationibus perperam institutis, *in me* glorias cumulet, quarum non sum capax. *Coccejus* divinat, verti posse; *contra me,* de criminationibus intelligens, sed id sine dubio alienum est. Vult ergò Paulus non alio prætio æstimari, quàm quod exigeret aspectus & species externa hominis, qui sit omnibus ὁμοιοπαθὴς, & infirmitatibus obnoxius; χοικὸς *limaceus* (Tertulliani vocabulo) ὀστράκινον σκεῦος 2. Cor. IV. 7. *vas testaceum & fragile,* unus inter illos quos Deus ἐσχάτους ἀπέδειξεν ὡς ἐπιθανατίους. 1. Cor. IV. 9. Præterea nihil vult de se judicari, quàm con-

congruenter iis, quæ Corinthii ſemper ex eo audiviſſent, ſemper audirent, ſemper audituri eſſent. Quæ verò illa? Unum Deum colendum, uni fidendum, uni miracula tribuenda; Præ eo nihil eſſe *plantantem* &c. Apollinem &c *ſervum*; Præ Chriſti gratia, mera eſſe σκύβαλα noſtra omnia &c. &c. Hæc ex Paulo audita fuerant. Non contemnenda eſt obſervatio *Theophylacti*, quæ etiam *Bullingero*, aliisque multis arriſit. Εἰ γὰρ καταθύειν αὐτῷ ταύρους ἤθελον διὰ τὰ σημεῖα, τί οὐκ ἂν ἔδρασαν εἰ καὶ τὰς ἀποκαλύψεις ἐφανέρου; Reſpicit, imò putat & Paulum reſpexiſſe ad hiſtoriam quæ *Lyſtræ* contigit & à Luca narratur. Act. XIV. &c. q. diceret Paulus; nolle ſe, ut ad idem ſaxum iterum ſeſe fluctus ferant. Theophylacti obſervatio.

Hîc igitur ſole clarius fit, quid interſit inter Pſeudoprophetas & veros Dei miniſtros, imò verè pios quosvis. Pſeudapoſtoli (quos hîc mordere Apoſtolus pergit) *animalia* ſunt *gloriæ*, non ſunt Φειδωλοὶ *parcipromi* ſuarum laudum, & ſuorum magnalium, non parcunt auditoribus & admiratoribus ſuis, ſemel hanc ingreſſi viam, velut torrens feruntur, & vaſtant μονολογίᾳ ſua omnes circulos, omnia convivia, ut alicubi *Plutarchus* obſervat. Faciliùs Herculi clavam, quàm illis loquendi vicem eripias. Præterea tantum abeſt, ut refugiant pluris haberi, quàm ſunt, atque id eis crux ſit, ut potiùs dulce ſit melimelum Ita ille Pſeudapoſtolus *Vaticanus* quàm venuſtè fert, ſi quis in eum λογίζεται ὑπὲρ ὁ βλέπει, *non purum hominem, Deum* Poriſma.

in terris, agnum Dei, ipsam veritatem (ut nuper eum *Tessæus* in epistola licet indignabundus vocâsse fertur) appellat. Quid mirum, si sunt canibus catuli similes & matribus hædi, si monachi & sacrificuli superbia & credulitate blasphemarum laudum penè rumpuntur, nisi subinde cannabea impediret restis? *A bove majore discit arare minor.* Sed & cis illam stygem non desunt titulorum mancipia, ἀποθεώσεων affectatores, *omnia* videri cupientes, cùm rancidum sint *nihil*, digitóque monstrari, & dicier: *Hic est: Hic est ille Demosthenes. Hic est ille Cicero, ob cujus os sua Graji obvertunt ora; Hic est ille pietatis & Orthodoxiæ vindex*, superorum quoties vult congerro, &c. Sed hos mitto in Anticyras.

Animorum Paulinorum planè alia est ratio. Elogia sua non tantùm non serunt, sed nec ferunt, imò horrent; gaudent nihil in se esse speciosi, scolopes suos latere nolunt, ut noster suum, quem jam videbimus. vers, 7. hæc sunt verba: καὶ τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκὶ, ἄγγελος Σατᾶν, ἵνα μὲ κολαφίζῃ, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι.

SCOLOPS deinceps visendus.

Potuisset malitiosus aliquis cogitare, quod Paulus, utpote ὑπάρχων πανοῦργος, δόλῳ λαβεῖν gloriam voluerit, ut infra v. 16. *jocatur.* Utpote memor, gloriam esse *crocodilum*, hoc est, *fugiendo* nonnunquam percommodè *arripi.* Et certè hanc artem quidam exercent, testéque *Seneca, ad gloriam perversâ viâ vadunt*, extus λευκοπάρυφοι intus ὁλοπορφύρει, quales non in Monacho-

nachorum modò gurguſtiis, ſed etiam in citerioribus nonnullis *manſiunculis* tam ſpiſſo numero reperias, quantus eſt muſcarum cùm caletur maximè.

At videte contrà candorem Pauli. Is ultrò fatetur, *non defuiſſe periculum, ne immodicè efferretur.* Nihil humani itaque à ſe alienum putat; Sed mox aperit aliquid, quod neſcio an ullus hominum, niſi θεοπνεύστων, aperuiſſet, nempe datum ſibi *ſcolopem, Angelum Satan, colaphis vel impedientem, vel impediturum, ne exorbitaret.* Sic enim Paulus omnibus modis perſuadet, ſe ſeriò, non hiſtrionicè, gloriationis materiam horrere.

Videamus primò quædam Grammaticalia: Primùm occurrit elegans, & Paulum valde decens verborum trajectio &c. Niſi quis cum *Auguſtino* malit pro τῇ ὑπερβολῇ legere ἐν τῇ ὑπερβολῇ, cum commate; ſed malim agnoſcere illam, quam dixi, trajectionem emphaſi non carentem.

Deinde hîc viſitur ὑπερβολὴ *exuperantia, vel excellentia*, quaſi incredibilis. Quæ vox quantum ſignificet, poteſt nos docere locus Eph. I. 19. ubi eſt ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως τοῦ Θεοῦ. Itémque uſus hujus vocis in *Arcanis Rhetoricis.* Et mirari hîc ſubit Pauli noſtri inuſitatam modeſtiam, qui dum nominare potuit ὑπερβολὴν, *Excellentiam* rerum ſuarum, tamen ita ſe gerit, quaſi nactus eſſet ὑπέρβολον; *lapidem in cervice, quo olim demergebantur nocentes.* Ὑπερβολὴ.

Ὑπεραίρεσθαι. Tertiò occurrit vox ὑπεραίρεσθαι, in qua argutus Pauli calamus resonantiam quandam ὑπερβολῆς studiò affectat. quasi dicere vellet *elationem animi parem & proportionatam illi revelationum celsitudini.* Est enim ὑπεραίρεσθαι ultra modum efferri in altum, quasi usque in spatia illa imaginaria, *sine resistentia,* ut ajunt, extensa. Nempe, si vel simplex αἴρω, vel ἀείρω tale quid significat, quid non significabit ὑπεραίρω; hinc percommodè Antichristus vocatur ὁ ὑπεραιρόμενος, 2. Thess. 2: 4. quippe homo valde *volaticus, levisque,* quemadmodum in typo suo depictus visitur Esa. XIV. 13. Videtur autem huic voci nonnihil congermanescere vox μετεωρίζεσθαι Luc. XII. 29. in sublime rapi, & vertice sydera ferire, sphæras chrystallinas certè perforare.

Vox hæc non sine emphasi repetita. Quartò quærunt, annon in fine hujus versus repetita expressio hæc ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, otietur, quam etiam in codicibus quibusdam reçurrere negant? Hîc verò decidant beati variorum codicum MSS. possessores. Ego interim receptam lectionem minimè mutarem, nam si paulò supra, nemine ambigente, ἐμφαλικῶς iterari potuêre hæc verba; *An in corpore, an extra corpus, nescio, Deus novit*: Quis miretur & hæc repetita: *Ne efferar*; audite, quæso, *volatici* rivales, *ne efferar.* Efferri ego vetor, efferri, *quæso quoties dicendum est vobis?* Lepórem & vim & venustatem hæc sapiunt, tantum abest, ut otiosè repetita quis causetur.

Quintò sese præsentat ille non *Pauli* modò, sed

Excutitur significatio vocis σκόλοψ.

ſed *interpretum* ejus omnium σκόλοψ, *incommodiſticus* valde. Derivant à σκάλλω, *fodio*, vel σκάζω quanquàm æquè derivari poſſe videatur à σκέλλω, *exicco*, *extenuo*, *attenuo*. Suidas σκόλοπα interpretatur ξύλον ὀξὺ *lignum vel palum acutum*, narrátque, tales olim *ſcolopes* vineis occultè præfixos, ut læderentur furtivi invaſores. Fortè id divinavit ex loco Hoſ. II. 6. ubi LXX. habent pro voce Hebraica בסיכים σκόλοπες, quam ibi plerique vertunt *ſpinas*, quemadmodam & aliis pluſculis locis Græci codicis eodem ferè hæc vox ſenſu occurrit, viſantur *concordantiæ*, & *Grotius*. *Heſychius* eadem habet quæ *Suidas*, nec aliud quid afferre poteſt *Homeri Scholiaſtes* ad Il. 1. v. 350. ubi σκόλοπας explicat ὀξυσμένα ξύλα, *ligna acuminata & acuta facta*. Et hoc recepêre interpretes ferè omnes, niſi quòd in voce latinè &c. ponenda mirè variant. Multi *ſtimulum* dicunt, *bucentarum* olim & hodie inſtrumentum, quod alibi in Actis Lucas κέντρον vocat. Ein Stachel / ſeu Sticher, *Tertullianus ſudem* vocat. *Camero aſſulam*. *Beza ſurculum*. *Tigurini & Polanus palum*. *Coccejus* etiam *ſtirpem*, *urticam*, *aculeum* dici poſſe autumat. *Stephanus* præterea & *vallum*, quid autem *valli*, ſatis ex *Tacito* notum. Nos vocamus *Palliſades*, impedimentum nempe vel eruptionis, vel irruptionis, *Belgæ* recentiores habent *een ſcherpe dorn*: *Itali ſtimolo*, *ſurcolo* o *ſtiezza*, quæ poſtrema vox *aſſulam* ſignificat. *Anglos Vechnerus* vertere dicit *a thorne*, verùm in meo contextu anglico reperio potiùs *a pricke*.

Galli reformati habent, *une echarde*, sed *Marollius*, *un aiguillon*, &c. Hactenus in vocibus varius est selectus, sed eadem penè sententia, ad eandem semper ducens metaphoram;

Nempe velut Hystricis seta, aut aliud acutum aliquid carni infixum, & dolorem creat; & *medio de fonte leporum promit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat*, & impedit, quo minus gressus nostros sueta vivacitate struere & glomerare queamus, & nos reddit minus vocales, minus loquaces, minus exultantes, sed potiùs mutos, pauciloquos, obstipos, & figentes lumina terræ: Ita nactus sit Paulus molestiam seu incommoditatem aliquam, quæ eum refrænasset, ac ad ἐχεμυθίαν redegisset

An scolops forte idem, quod crux?

Verùm observavi & alias σκόλοπ& nostri interpretationes, quæ nonnihil aliorsum eunt. Nempe *Stephanus* & *Suizerus* in suo quisque *Thesauro* volunt apud multos authores idem significare quod σταυρὸς, h e. *Crucem*, & σκολοπίζω idem quod σταυρόω. Et certè in *Luciano*, ac *Celso*, hostibus Christianæ Religionis exempla ostendere possim, eos Servatorem nostrum J. C. per contemtum subinde nominâsse τὸν ἀνεσκολοπισμένον, quasi *pensilem* factum (sicut & hodienum blasphemi verpuli illum vocant *tholui*,) aut quasi palo per totum corpus trajectum, quod supplicii genus barbarissimum, ipsa crucifixione longè durius, Turcis & Japanensibus hodie usitatum, & in dies multos mortem protollens, sicut de J. C. est falsissimum, ita meo judicio plus hîc adumbraret, quàm

quàm dicere Paulus voluit, utpote qui pòst, velut acerbius malum memoret κολαφισμὸς, *colaphos, sibi infractos, vel infringendos.* Non igitur σκόλοψ ille aliquid fuit tam horribili supplicio simile.

Sunt non pauci, qui σκόλοπα nostrum sibi imaginentur *lignum transversum collo aut impositum, aut appensum,* quo animalia ferociora prohibentur aut exilire, aut *sepimenta penetrare,* aut vineas per vadere. Imprimis id *Vechnero* placuit, valde enim operosus & negotiosus est, ut id reddat verosimile. Nolo eum compilare. Afferam potiùs quædam, quæ in mentem ipsi non venêre. Nempe *Elmacinus* narrat, XII. seculo in Persia pseudomessiam exortum *Almusarem,* & Judæos ad rebellionem suscitâsse. Pœna victorum fuit transversum è collo pensile ferre lignum, eóque impediri, ne vagari extra casas suas possent, nam si facerent, præstò erant, qui ingeminatis in illud lignum ictibus ingentes iis creassent dolores. Ita non est novum illis qui ad supplicia ducuntur transverso vecte vel fuste os obstrui, ne videlicet loqui possint, iniquis fortè damnatoribus non placitura. Equorum quoque domitores, si caballis vel crebrò lapsantibus, vel ferociter exultantibus, vel calcitrantibus medicinam facere volunt, subinde spinas adhibent atque alligant, quibus sese delinquens asturco saucietur, atque ita doloris metu emendetur.

An lignum transversum in collo?

Pulchrè olim ille Cajaphas Judæorum summus Pontifex & Conventûs præses ad assessores

sessores suos οὐκ οἶδα πεὐδέν, οὐδὲ διαλογίζεσθε. Joh. XI. 49. 50. Non minus in hac nostra masculè & basilicè *Isacus Vossius: Ignorantia*, inquit, *fecit, ut non recte interpretes, tum alia loca, tum etiam verba Pauli 2. Cor. XII. reddiderint. Sic enim reddenda hæc fuerant: Datus est carni meæ Angelus Satan qui vice flagelli castiget me.* Vult ergò σκόλοπες esse *flagellum, lorum, cirrhum*, idem quod κῆλα, vel σκολὸς, *taurea, lorum è corio bubulo*. Vid. notas ejus in Catull. p. 223. At ut de imperceptibili illa σκόλοπι cum κῆλα (quæ tamen non tam *tauream*, quàm *gluten* significat) affinitate nihil dicam, neque illi objiciam quod *Hornius* nuper de metamorphosi *Chopini in Platonem*: *Muta*, inquit, *Cho in Pla, & pi in to, & abjice nus, sic fiet Chopinus Plato*. Ut, inquam, hoc non vexem, neque etiam dicam, *dissimulanter id Vossium hausisse ex Fabro Stapulensi*, qui sanè etiam *flagellum* est interpretatus, imò & *Calvinus ferulam* dixit: velim ego scire, in quo bono Authore Græculo σκόλοψ *flagellum* significet? Præterea judicent nasuti, an Paulus in illa orationis suæ gradatione *flagella* colaphis præmisisset?

An flagellum, ut putat J. Vossius.

Vechneri sententia.

Vechnerus, jam aliquoties memoratus nobis, conjectat, vocem σκόλοπι exprimere vocem Hebraicam & Thargumicam, *Darban*, quæ aliquoties in S. Textu, saltem quando Chaldaizet, occurrens notet non *aculeum, stimulúmve* tantùm, sed etiam *gubernatorem, præsidem, præfectum, coërcitorem, correctorem*, &c. μάστιγα &c. ita ut *personæ* potiùs, quàm *instrumenti* notio-

tionem habeat, atque in eo demonstrando multus est, pro eo ac decuit hominem polygnosiæ ostentatu congruam Doctorali majestati promotionem quærentem. Quorsum verò hoc suo invento collimet, forsan in secutura prælectione videbimus, atq; quicquid erit, expendemus. Hic tribus saltem verbis observemus, hausisse illum totam hanc observationem penè ad verbum ex *Buxtorfii* Lexico Thalmud, nec tamen *Buxtorfii* meminisse.

Σκὼλοψ quid? quidque *angelus*?

Sextò probè observandum, quod Apostolus dicit de hoc *scolope*, ἐδόθη μοι τῇ σαρκὶ, *datus mihi est carni*, gemino dativo, & nulla præpositione. Cæterùm vocabulum σκὼλοψ in Sacra Scriptura semper est generalissimum & maximè affectus denotat nostros. Fuit nuper *Warlizius* quidam qui specialissimum facere voluit intellectâ nescio qua corporis humani parte; quod suo loco relinquimus.

Septimò vox ἄγγελος uti strictè spiritum bonum significat, imò strictissimè toties Dn. Servatorem nostrum J. C. ratione officii & incarnationis suæ, velut apparatûs ad nos *visendos*, & *asserendos* necessarii: Ita nonnunquam simpliciter quemvis *nuncium*, *emissarium*, *procuratorem* significat, quinimò adjectivè quidvis *missum*, aut *emissum*. Id quod notius esse puto, quam ut exemplis declarari opus habeat.

Quid Satan?

Octavò, penè similiter est judicandum de voce σατὰν sine articulo, sine etiam *flexu casuali* hîc comparente, nempe si ad rem faciat, *adjectivè* sumi potest, ut connotet *rem adversariam*

ad-

adversam, aut adversantem, aut adversaturam, hæc enim Syriaci hujus vocabuli vis est. Ita Num. XXII. Angelo etiam bono tribuitur vox *Schatan*, ut declaretur, eum remeligines & tragulas injecisse Bileamo asinæ suæ dorso ad prædam festinanti.

Colaphi vocabulum.

Tandem occurrit hîc vox κολαφίζῃ, colaphis cædat, in præsenti subjunctivi, aut ut quidam malunt, in modo *potentiali*. Ajunt vocabulum esse ἀνάτλιγον, *non admodùm græcum*, nam græcos κόνδυλον dicere *alapam*, non κόλαφον. Id viderint Græciæ antistites. In N. T. sæpe occurrit, & possit forsan Hebraicæ esse originis Ita Apostolus 1. Cor. IV. 11. hæc habet verba: γυμνητεύομεν, καὶ κολαφιζόμεθα, καὶ ἀστατοῦμεν. Est autem κολαφίζειν, *depalmare* aliquem, os alicujus pugno vel palma cædere, non dissimile illi ejusdem Pauli ὑπωπιάζειν, einen blau anlauffen lassen. Atque id contigit, Jesaja, & Evangelistis testibus, *Christo*, de qua re venustè Sedulius:

Namque per hos colaphos caput est sanabile nostrum,
His alapis nobis libertas maxima plausit.

Fuit autem Veteribus, nescio quæ jucunditas ferire colaphis, *dentilegos facere mortales, alios.* ὡς ταχὺ κόλαφος ἐκπαλεῖ δεινός; inquit *Epicharmus*. Apud *Comicum* servus hero suadet, *ut domum suam vendat*, & hanc ridiculam dat causam *quia*, inquit, *semper in ore habitas meo*, colaphis videlicet infligendis. Certè *colaphorum & alaporum* frequens ubique est mentio,

&

& statim faciem petit vetusta illa iracundia; *miles feri faciem*, dixit obequitans pugnantem exercitum olim *J. Cæsar*. Si res foret honesta, & decora, sine dubio obsoleviſſet, sed adhuc supereſt, nec est timendum, ne pereat hæc elegantia, aut falsum evadat illud Solomonis, *ubi vulnera & rubor oculorum? apud morantes in vino.* Prov.XXIII. Jam itaque, quia κολαφίζειν, *pugnis exossari*, *depalmari*, erat servile, & contumelioſum inprimis, ex eo factum est, ut vox ista quasi usu quodam quasvis vexationes contumelioſas,& libidinoſas, & imperioſas denotare cæperit, conferantur dicta 1.Pet.II.20. Mich.V.1. Psal.III.8.

Et hæc sunto grammaticalia, quæ præmittenda ipsius hujus myſterii scrutinio non abs re duximus. Tempus est, ut excutiamus, quid his omnibus, nonniſi metaphoricè positis (quod indubium quibuscunque puto) Paulus intelligat? Verùm, quia istum multiplex & penè innumerabilis Theologorum equeſtrium

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum,

Satius duco, Auditores, hoc spectaculum protrahere in horam integram proxima Jovis die, quâ præcipua, cum ὑπηρέσιον, & ὑπηρέσιον ὑπηρέσιοι, si valetudo permittat, exhibebimus.

Meminerimus interim, felicitatibus Paulinis fuiſſe adjunctum aliquod *odium*, qualecunque tandem, sed *odium*. Idque factum fuiſſe Dei voluntate: ἐδόθη μοι *datus est mihi, à quo* Porisma.

niſi

nisi Deo? σκόλοψ, ἄγγελος σατᾶν. Nec fortè reperire sit facilè *θεόλογον ἀσκόλοπον*, aut *ἀσκόλοπον θεόλογον.*

Armat spina rosas, mella tegunt apes.

Dissimulare est facilius, quàm carere. Quisque suos patitur manes, *omni malogranato granum putre inest*, es hat ein jeder seinen Thorn/davon er hupft. Sed bene quod hæc *amaritudo ad pacem* facit,

— *aliquisque malo sit usus in illo*
ἵνα μὴ ὑπερεκχέωμαι, *ne efferar.* Nihil facilius, aut nativum magis, quàm efferri, etiam citra causam. Optimè Deus *fibulas* repperit, quibus saltem *Paulos* compescit. Nam reliqui, Paulo non exactè similes, subinde inoffenso feruntur ad ridiculum *ὑψος* cursu, nullo stimulo impediente, aut, si fortè adest, impedire volente & valente, nempe quia nullum adest in illorum revelationibus operæ prætium, nihil tanti. Suspiremus, quæso, illas in altera & meliori vita *ἀποκαλύψεις* sine *stimulis*, sine *pulsatore Angelo adversario*, & *fata* potiùs, post hæc ludicræ & miserabilis vitæ momentula, quam *fanda* dextrè obire expleréque conemur, quod etiam Pauli, hominis fortè omnium qui vixerunt judicioſissimi & sapientissimi, unicum fuit studium.

Præ-

Prælectionis quintæ

INTROITUS.

Magnifice &c.

PEnè est, ut pænitudine ducar, quòd hanc de *Pauli scolope* materiam prælectiunculis meis selegerim, non quòd non nobilissima, &, si applicare quis auderet, ædificantissima sit, sed quia (quod non prævidi) nulla minùs commoda dando alicui solertiæ specimini, adeò per omnes angulos excussa est commentatorum Chiliadibus æquè ac Iliadibus, & ita quidem, ut cum Cicerone *habeas abundè quos fugias, quem sequare vix habeas*, nec tamen etiam ullum sternendæ novæ semitæ spatium. Quia tamen jacta est alea, & aliquis progressus jam factus, lentandus est porrò in hoc æquore remus, propitio Numine, & bonâ cum vestra, A. H. gratiâ!

PRÆ-

PRÆLECTIO V.

SUpereſt igitur, ut quid Paulus per illum *ſcolopem, angelum Satan* intelligat, excutiamus. Sine enim dubio hæc duo epitheta rem eandem deſignant, unde etiam v. 8. numerus eſt ſingularis. Niſi quòd poſſumus imaginari, nobis voce ſcolopis *officium*, voce angeli *officiarium*, voce colaphiſandi *exequendi officii rationem deſignari.*

De ſenſu reali variæ opiniones.

Sunt autem hîc, ſi uſquam alibi, diſpertiti viri, diſpertiti ordines, ut ſuſpicari liceat, *difficile eſſe toties non ferire ſcopum.* Quis autem omnium illum ferierit, id demum venit judicandum, poſtquam viderimus varias ſententias, earúmque commoda & incommoda penſita verimus.

Minima, ſed ſine dubio judicioſiſſima claſſis eſt eorum interpretum, qui fatentur ſe neſcire, & de hoc ſcolope ſentiunt, ut olim Plato de *iride*, quam dixit *filiam admirationis, non explicationis.* Optimè *Scaliger.*

Neſcire velle, quæ magiſter maximus.
Docere non vult erudita inſcitia eſt.

Hos citat, nec nominat *Coccejus.* Certè nec ego nominare poſſim, quos enim hac ſuper re vidi, omnes aliquid tentant, & proferunt, ſive ſuum, ſive mutuum.

Eorum verò fæcunda natio eſt, qui unguibus non admodùm præmorſis, nec capite valde ſuffricto dicunt, *in genere perſecutiones, vexationes,*

tiones, contumelias intelligi, quas v. g. Paulus ab Alexandro coriario, Hymenæo, Phileto eorúmque manipularibus pertulisset. Ita *Chrysostomus* & ejus compilator *Theophylactus*, *Theodoretus*, *Photius*, *Athanasius*, teste *Suicero* in Thess. Voc. σκόλοψ. Sic Cyprianus non uno loco. Illis accesêre *Erasmus*, Theologique protestantes plurimi. *Bullingerus*, qui *cuneum adversariorum* explicat, comm. in h. l. *Heideggerus* Dissert. Tom. I. p. 731.

Patrum quorundam sententia.

Adoptata à multis recentioribus.

Qua in re hi mihi viri videntur id ipsum facere, quod eruditi quidam in illa disputatione de Regione *Ophir*, *ubi sit Regio Ophir*? Respondent; *Ophir* vocari *omne transmarinum*, aut transmontanum: Aut quod ille, qui ut margaritam certò haberet, totum emit agrum, in quo jacuerat, ne videlicet illa sibi elabi posset. At verò si Pauli verba attentiùs consideramus, inprimis etiam deprecationem subsequam, debebant illi viri aliquid divinare specialius, numero singulari quadrans. Nisi fortè quis dicat, quod jam jam mihi in mentem venit, dici posse: Angelum Satanæ hîc posse sumi, ut Psal XXXIV. *Angelus Domini castra habens circa pios* sine dubio multis *velitibus*, *celeribus*, *& triariis* instructa. Forte *Bullingerus* id in cogitatione habuit, cùm *adversariorum* dixit *cuneum*.

Ea expenditur.

Cæterùm subdubito etiam, an hîc Paulus satis pro decoro personæ suæ locutus esset, si hic ejus fuisset sensus; datæ mihi sunt vexationes ab hostibus, ne ὑπερβολὴ visionum cri-

ſtas tollam; Nempe ſine ὑπερβολῇ hac & aliis propinatus eſt *ſcrupoſus iſte victus*. Res erat ordinaria tum temporis, nec facilè capias, quomodo *extraordinarium* Paulo & ſanitatis tuendæ remedium, & tam flebiliter *deprecandi* argumentum id eſſe potuerit? Injuriæ hoſtium fortè coprimunt animos quotidianos, & proletarios, qui, ut facilè luxuriant ſecundis, ita immiſſis vexatoribus muliebri quæſtu ſtatim reſonant, & in ima omnia correpunt. De his vetuſtus ille Senarius:

Μικρὸν φρονεῖν χρὴ τὸν κακῶς πεπραγότα.
Obſtipo capite bulbos quærere illum decet,
cui infelicem eſſe contigit.

Verùm id minimè evenire ſolet in animis excelſis, qualis Paulinus, & quorum *marceret ſine adverſario virtus*, & adverſis exercita ſplendidiùs eniteſcit, *ab ipſo ducens opes animúmque ferro.*

——— *Serpens, ſitis, ardor arenæ*
Dulcia virtuti, gaudet patientia duris
Lætius eſt, quoties magno ſibi conſtat honeſtum. Lucan.

Et certè Paulus annon is ipſe eſt, qui gloriari juſſit nos in adverſitatibus? Revolvite paginam & videte, quàm id ipſe facit, & quomodo in triumpho ducit ſuos *Phygellos, Alexandros, Hymenæos*, ſuos etiam *pulſatores, virgatores, lapidatores*? Non ergò veriſimile videtur, has vexationes, nempe ita generaliter & obiter ſumtas, poſſe hîc intelligi.

Dum hæc cõmentor, incido forte fortuita in

in *Spanienſem*, notum illum non ita pridem Eccleſiaſten Gallicum Weſtmonaſterienſem, is pro eo ac ſibi habere videtur in ejuſmodi dumetis *Schibboleticis* vim naſi mirè odoram, ſingulare aliquid, ſed tamen ad hactenus dicta pertinens obſervat. Verba ejus ex Gallico verſa ſunt hæc: Stylus N. T. ex variis Idiotiſmis compoſitus eſt, qui vel ad V. T. vel aliò etiam ſpectant. Hinc dicta, quæ hujusmodi alluſionibus conſtant, non aliunde explicanda ſunt, ſecus extra oleas vagamur, aut ſi ſenſum aſſequimur, caſu fit & fortuitò. Hîc ergò dum idem obſervo, in V. T. Hiſtoriam reperio per omnia ferè cum noſtra hac convenientem. 1.Reg.22. ubi propheta quidam Deum videt ſolio ſuo inſidentem, omnémque cœli exercitum à dextra & ſiniſtra ei aſtantem. Audit Deum negotium aliquod proponentem, & Angelos diverſimodè ſuper eo conſultantes, quemadmodum in ſenatu fieri ſolet. Audit Satanæ aliquid demandari, quod per ſervos & ſatellites effecturum ſe promittit. Poſt tam ſublimem revelationem Propheta percuſſus eſt in maxillam à quodam Sathanæ miniſtro Pſeudopropheta. Hæc Hiſtoria planè convenit &c. manifeſta eſt alluſio &c. *Hæc ille*,

Spanienſis ſententia.

Ergò Angelus Satanæ eſt, ejus judicio, quidam pſeudoapoſtolus inſigniter ferox, & illi *Soſiæ* abumbrato apud Comicum, *pugnos ponderanti & iis os hominibus exoſſanti* perſimilis. Cæterùm individuum vagum, aliquid, inquam, quod *in ipſis floribus angat, &c.*

— *Affigat humo divinæ particulam aurę,*

Nec etiam negem, ejusmodi ægritudines admodùm venustè facere ad domandos exultantis animi subsultus. Quò faciunt aureola illa *Plinii*,

Plinii huc faciens epistola.

Plin. Maximo. Lib. 7.

Nuper me cujusdam amici languor admonuit, optimos esse nos dum infirmi sumus. Quem enim infirmum aut avaritia, aut libido sollicitat? Non amoribus servit, non appetit honores, opes negligit, & quantulumcunque, ut relicturus satis habet. Tunc Deos, tunc hominem esse se meminit, invidet nemini, neminem miratur, neminem despicit, ac ne sermonibus quidem malignis aut attendit, aut alitur. &c. Sed & *Salvianus. Adfectis artibus vires corporis in virtutes transferri animorum*, quod *Grotius* observavit, una cum pluribus aliis ad vers. 9. infra.

Feram & id, potuisse aliquem ex his morbis non malè Angelum Satanæ, h. e. *immissum à Satana* dici, & id verosimile reddi posse ex historia *Jobi*, & passim *Evangelica*.

Expenditur sententia de morbis.

Sed miror, quommodo hinc non debuerit excipi Paulus, Gentium peragrator, idque sæpe *pedibus*, ut scias saltem non fuisse *podagrâ clavosum*. Quomodo non ad illum quoque pertinuit illud Marc. XVI. 18. *si mortiferum quid bibent, nil ipsis nocebit*. Quomodo eum decuit insolitis morborum paroxysmis defigurari, qui aliis miraculosè & expeditè subvenire debuerat, aut dæmonas pati tortores, qui ab aliis eos depellere? Merus Utis Homericus, præsertim

tim neque huc rectè conveniens, si & nostros aperiamus oculos,

Argolici Clypei, & Phœbeæ lampadis instar.

Neque enim Pseudopropheta ille Zedekias colapho suo Michææ os occlusit, sed potiùs largius reseravit, unde etiam prognata sunt, quæ Zedekias in mysterio mansisse maluisset; At Paulo alius nascitur è colaphorum segete fructus, nempe *reticentia*. Nondum igitur clamandum fuit Βρηκα.

Sententia eorum, qui morbos intelligunt.

Ad *morbos* multi hunc Pauli Scolopem & Sat. Angelum retulêre, jam tempore Patrum, sed qui fermè improbant hanc sententiam. Venêre autem in Scenam *Cephalalgia, dolor auriculæ, renum infirmitas, Podagra, Passio Iliaca, Stomachi ægritudo*, imò quod miremini, Auditores, *Melancholia, vertigo, epilepsia, incubus*. Horum morborum quisque suum Patronum habet vel plures, quò se Paulo commendet. Superfluum sit eos nominare, ut facerent multi, quos gloria vexat inanis.

Ego non negem, esse ex his morbis, qui illa σκόλοπος metaphorâ congruè frui possint, & fortè subinde usu venire, ut ejusmodi molestos domitores experiantur Viri in Ecclesiæ commoda capite & calamo laborioši. Præterea non est abs re observare, capite præcedenti in in illa *Iliade* sua non tantùm non memorare morbos corporis sed & talia referre, quæ in *corpus morbidum* quadrare nullo modo possunt, nisi quis miracula in immensum augere velit.

Hæc itaque videntur aliquid habere difficulta-

cultatis, neque etiam morbi videntur remedium omnium proximum, quò elatio persanetur. Multi visi sunt, v. g. qui epilepsiæ & atræ bilis morbum ad revelationum ostentationem adhibuêre, *Mahomedes* nempe, Poniatovia quondam, non paucæ apud nuperrimum illum *Fenstkingium* in *gynæceo fanatico* visenda &c. Certè ubi intervalla sunt, ut necesse est Paulum intervalla habuisse, laxatæ sunt habenæ toties gloriam. &c.

Aliæ aliorum sententiæ.

Alias itaque quercus excutiunt alii, atque deprehendunt vel subitas animi consternationes, vel horrificas mortis & supplicii formidines, vel tentationes internas horribiles, vel morsus conscientiæ ob anteactam vitam, vel in mentem ventionem horribilium blasphemiarum. Verùm pleraque hæc aut ita volaticè & generaliter à suis excogitatoribus posita reperio, ut nullâ lacinià arripi, ac ut par erat, expendi possint: Aut talia sunt, ut non possint Paulo demum toto decennio post occeptum munus Apostolicum immissa cogitari, vel cum aliis fiduciâ pleniſſimis & fortiſſimis expressionibus viri adversa fronte pugnant, aut certè aliud sui vestigium indiciúmque in toto Paulo nuspiam habent, videntúrque ideò contubernalem habere genium cum quibusdam hypothesibus Physicis, v. g. cum illa *caravanna particularum striatarum* Magnetis & ferri conciliatricum: Nempe si roges, quo argumento illam talium avicularum migrationem comprobent; magnetem dicent aliter inexplicabilem,

bilem, (aliud experimentum habent nullum,) & viceversa.

Observavi utique, esse non paucos, qui sibi non videntur Apostoli hunc casum rectè explicare posse, nisi phantasiam suam efferciant horribilibus & pudendis quibusdam simulacris, atque id in seq. luculentiùs apparebit, quasi videlicet id cogitari fas sit in re, de qua interim Paulus gloriari potest & vult, & in qua Deus *potentiæ suæ complementum fabricari* potest.

Nempe sunt qui existiment, Paulum κατὰ ῥητὸν à cacodæmone aliquo, seu *spectro Diabolico* alapis commitigatum, ut quoties de se aliquid proferre occeperit, continuò pugnus in mala hæserit. Hæc *Cameronis* est sententia, Oper. pag 181. Hæc *Gernleri*, & plurium aliorum, & audivi *certâ quadam occasione*, sed ridiculô dein eventu, cordatos viros magnopere id pertendentes. Existimant, sic simplicissimè sine allegoria sumi Apostoli verba, & explicari quod præcessit, cùm contrà implicaretur: Ad allegoriam non esse veniendum sine necessitate, cæteras explicationes non paucis laborare incommodis, hanc probari exemplis *Christi*, & *Jobi*, in quos Cacodæmoni magna fuerit aliquando potestas, &c Sed & ad hæc quædam regeri posse videntur. Et *Bekkerus* quidem ille, qui cacodæmonas ubique omnes cum pulvisculo sustulit, non est audiendus: Absit quisquam huc delabatur: Sed tamen observandum, Veteres subinde *Diabolum & Satanam* nominare, nec illum *infernalem* intelligere, corripiendi,

Sententia de spectro.

Excutitur.

piendi, aut convitii faciendi causâ. Exempla passim obvia. v. g. Matth. XVI. 23. Hodierni Græculi, etiam sacerdotes & episcopi facilius alicui dicunt, *Diabole*, quàm nostrum quis audeat alicui dicere: *Tu inepte, Tu impudens, veterator, homo nefarie*, aut simile quid; obtinétque iste usus passim in aliis Orientis linguis. Nihil ergo est, quod quis *Allegoriæ* formidine tantopere horripilet. Exempla *Christi* & *Jobi* sunt admodùm dissimilia. Satanam enim *per tempus* habuêre vexatorem, non nisi *ut pudefieret & confunderetur ipse*. Hic verò Paulus à Satana confunderetur colaphis. Illis mox itaque herbam porrexit & arenam cessit: Paulus verò id precibus à Deo contendens tulerit repulsam, & molestum fætidúmque contubernalem per omnia secum habuerit: Quid dicturâ quæso sorore *uxore*, si eam, ut facilè potuisset, circumducere voluisset? Et quis hîc satis commodus apparatus fuisset pro homine Apostolo, Victorem Dæmonis Jesum ad gentes ferente? *Atram* ejusmodi *curam post equitem sedere?* Jam quàm fuisset consentaneum, Apostolum pervicaces subinde *tradere Sathanæ*, à cujus Satellite lorario ipsemet raptaretur, & tuber subinde referret caput? Quid etiam, an satis rectè *gloriatus* fuisset hoc *Achate?* Tandem scire velim, an conscius, an nescius ille *Virgator* tam salubrem & sanctum extuderit fructum? *Conscium*, opinor, nemo dicet: Utpote cui mos sit permissos sibi potiùs colaphizare, ut *peccent*, *quàm ne peccent*: Si *nescium* dicas, ut sanè non

diffite-

diffitebor, nescium & aliud omne spectantem subinde bona promovere cogi, quomodo hîc sine cumulatione miraculorum opportunis momentis suas alapas nanciscì Paulus potuisset, aut an conveniens sit credere, illum lusum fuisse quotidianum & nunquam interruptum

— *quasi patritiis pueris aut monedulæ*
Aut anates, aut coturnices dantur, quicum lusitent.

Sententia Clariss. Vechneri.

Veniendum jam est ad Cl. *Georgium Vechnerum*, qui magno cum strepitu & apparatu campum hunc obequitavit, emisso A. 1678. prolixo libro *de Palo Pauli*; singulare quiddam pollicitus; quod etiam præstitit, si modò rectè tinniunt ejus nummi. Eò verò breviter redeunt diffusæ ejus cogitationes.

Vocem ἐδόθη non tam reddendam datus, aut permissus est, sed *additus*, *adjunctus annexus* est.

ὑπεραίρωμαι, *me efferam*, sensu reciproco.

Σκόλοψ esse quod Hebr. דרדן. At id jam nuper audivimus: perge.

Angelum adversarium intelligendum esse non malum sed *bonum*, qui possit æquè שטן dici, ac de Angelo Jehovæ in Historia Bileami hæc vox occurrat.

Κολαφίζῃ, esse modi *potentialis*, q. d. *ut me depalmaret, si opus fuisset, non autem fuisse opus*. Nempe videtur esse veritus, ne præter decorum Angelo *actuales pulsationes tribueret*; Sed securus esse poterat, tulêre jam ab Angelis Petrus Act. XII. 7. &, nisi somniat, Hieronymus ob

ſuum *Tullianiſmum*, immeritò, ut *Gazæ* videtur.

Ex his facilè eſt perſpicere quæ ſit *Vechneri* mens, nempe Paulo adjunctum fuiſſe perpetuum *obſervatorem & coërcitorem*, húncque fuiſſe *Angelum bonum*, cum commiſſione, ut opponeret ſe Paulo, ſi exultare vellet, atque opponeret *alapis* infligendis, ſemper ad hoc negotium paratus, & quaſi pugnos ponderans, & dicens: *haud malum huic eſt pondus pugno &c.* Verùm Paulum maluiſſe carere his dapibus, & glorias ſuas reticere.

Hanc autem ſententiam nonniſi ut veroſimilem proponit, acquieſcens *pro forma metúque inquiſitionis*, explicatione de Diabolo fuſtigatore, quam paulò ante vidimus, niſi quod in *præfatione* ſeſe nonnihil nudat.

Alicubi fatetur, ſe obſervationem de Angelo Jehovæ Bileami Satanam agente debere *Rudingio*, miratúrque hunc non eodem traxiſſe Angelum Pauli, itaque quod oblitus erat, avidè arripit, & longo triumpho domum ſuam defert.

Affert autem multa pererudita & ſingularem aſſiduitatem redolentia, *operámque dedit curámque* (ut loquitur) *indefeſſam* : Alienæ quoque pompæ multum hinc commodari potuiſſet, ſi quis corniculæ Æſopicæ induſtriam voluiſſet imitari.

Inter ea igitur quibus ſententiam ſuam credibilem reddere cupit, eſt inprimis nota illa hiſtoria, ſeu ſaltem narratio *Bodini* in Dæmon. I. 2. de quodam *Bodino* familiari, ſed nobis obnupto, qui toto vitæ curſu ſpiritum Paredrum bonum

bonum circa se habuit, inconspicuum quidem, sed indefessum ad bona monitorem, in inhonestis vellicatorem, contra periculosa adversatorem &c. nota est res in vulgus quoque.

Cæterùm ignoscat nobis Vir iste sanè eruditus & nimiùm quasi polygnostes, si ne hanc quidem sententiam celeri applausu excipere possumus. Etenim tristi novitatis præjudicio (quicquid circumspiciat) gravatur, &, ut ipse præ se fert, *audacula* est. Locus Num. XXII. non ita convenit ut putat. Neque enim ille Angelus *gloriationes* Bileami impedivit, aut ullo modo in cæteris simile negotium gessit. Ad examen revocatur.

Multò autem minus *circumstantiæ* hanc expositionem patiuntur: Num enim videri ἀσθένεια, ὕβρις, ἀνάγκη, διωγμὸς, στενοχωρία possunt Angeli adstites, & coërcitores? Miror, si quis concipiat, inprimis de Paulo. Num igitur Paulus *ter Dominum rogaverit, ut absisteret ejusmodi satelles*? Annon potiùs, ut nunquam? An Paulus tanto sumtu, & tanta jactura voluerit captare gloriandi occasiunculas, dico jacturâ cælestis & fidi Achatis, qui pro modica & tolerabili hac refrænatione, concipi non posset non mille solatia & auxilia tetulisse Paulo, ut ideò ἀποπομπαῖον illum voluisset? Scilicet sic sapuit Paulus, ut propter *reduviam* manum perdere voluerit! Non ille in *Bodini* sive historia, sive commento epico (quod in ipso *Bodino* fusius legi velim) tam bliteus fuit, quisquis fuit, vel esse fingitur: Felicem enim eô se parastatâ putavit, & gloriari adeò permissum,

&

& vellicatoris sui colloquio aspectúque frui magnopere expetivit &c. neque scio, nisi *unum, duósque forte* ex iis, quos novi hominibus, quos suspicer præ gloriandi voluptate detrectaturos Angelorum bonorum amabiles & innoxios, & salubres sine dubio colaphos, simul cum cottidiano contubernio vid. Prov. 27. 6.

Instantia Vechneri.

Prævidit hanc objection m sine dubio *Vechnerus*, unde alicubi, quasi se præmuniens, *ægros* inquit, *subinde deprecari medicamenta etiam certò salubria, si amariora, & horrorem faciant, & mitioribus res peragi possit.* pag. 202. Sed nihil horum huc quadrat: Nullus hîc (in illa hypothesi) foret *æger*, præsertim cerebro, nihil amarum, nihil non omnibus modis exoptabile. Et tamen fingamus deprecationi locum fuisse, quis concipiat tantæ, & trinæ? Satis de his.

De iis, qui vitiositatem moralem intelligendam statuunt.

Venire est tempus ad illos, qui *vitiositatem aliquam moralem* hîc repperisse sibi visi sunt, videlicet vel *concupiscentiam in genere*, vel *typhum*, vel *iracundiam*, aut *urticam veneream* in specie. De prioribus tribus sententiis nolo esse prolixus, ostensâ enim quartæ absurditate, & ipsæ concident. Breviter saltem monstrandum est, adhiberi hîc à plerisque contra illas sententias argumentum penè inutile, quod tamen palmarium, & unicè judiciosum putant; quod ex *Camerone* saltem, si non antiquioribus eo, certatim hausêre neoterici: Nempe *vitium vitio non curari*, fieri ergò non posse, ut Pauli jactantia vitiosis inclinationibus aliis repressa videri possit. Rectè hactenus contra eos qui *superbiæ stimu-*

Argumentum contra eos inutile.

stimulis correctum Paulum autumant, (ut non desunt,) *ne superbierit*. Id enim est imperceptibile, quicquid sudent.

Sed si de diversis vitiositatibus adfectuum sit sermo, ajo, saltem in Ethicâ, aliam aliâ tolli, corrigi, & quasi Synesii proverbio ἦλον ἦλῳ ἔκκρουστον, videlicet ut in noto illo epigrammate Ausoniano *toxicum & argentum vivum* licèt utrumque venenatissimum, sese conjuncta mutuò hebetant,

Et cùm fata volunt, bina venena juvant.

Sumite e. g. *avaritiam*, quæ si hodienum vitium non est, certè olim fuit, imò *omnium radix*. Quot tamen quæso, aliis vitiis hæc scolops est, & angelus adversarius, colaphismis promptus adeóque obex commodissimus, v. g. fastui, sumtuositati, luxuriæ, crapulæ, dissolutioni, incontinentiæ, vinositati, procacitati bellicæ, violentiæ, & similibus multis, quæ aut impensas prolicere, aut mulctas pecuniarias post se trahere, aut alio quovis modo rei penuariæ vel decremento, vel saltem nulli incremento esse possent, ita ut, quod ille Cardinalis de *Hugonotis* observat: *introducendos eos in Galliam, si nulli essent*, eodem pacto, aut saltem *animo* dicere possimus, in Civitatem, (non Platonis, nec Christianam has enim extra respectum meum jam habeo) Politicam his moribus & temporibus penè inducendam avaritiam, si exularet. Sed & alia vitia sunt, quæ fratrum Cadmæorum instar sese mutuò perimunt; &c. Quod de *vitiis* dicimus, id non rarò usu venit de *vitiosis*.

Ele-

Elegans est in hanc rem Synesii Epistola 45. ad Olympium Ecclesiæ turbatorem. Ea tota sic sonat: Ὀλυμπίῳ. Λυπεῖσι τὴν ἐκκλησίαν ἀλλότριοι πονηροί. Μέμφηθη κατ' αὐτῶν, οἱ πάτταλοι γὰρ παττάλοις ἐκκρούονται. Ἔρρωσο.

Absurdæ Pontificiorum & monachorum sententia.

Illorum sententia nunc expendenda venit, qui ad *aphrodisia* has Pauli incommoditates transferunt, hoc est, ad *fœdas imaginationes, stimulos venereos, tentiginem*, & similia, quæ exprimere pudet. In hac sententia *Patres* nulli reperiuntur, convictúsque à *Chamiero* perfidiæ, impostúræ & mendacii *Bellarminus*, qui *Augustinum* & *Theophylactum* in hanc sententiam aptare voluit. Posterioris equidem versio *Porseniana*, nequissima, etiam *Bullingero* imposuit; tantum nocet subinde non inspicere Originalia! Itaque hæc sententia non est nisi à *Lyrano, Hugone, Abulensi* & similibus sequiorum seculorum magistellis, Græcè ut plurimùm ignaris, & versionis Vulgatæ sono, non illubenter forsitan, deceptis; Adspersêre autem pro condimento hujus *tyrotarichi* natos Paulo istiusmodi igniculos, à *Thecla* Virgine, cùm eam fluvio baptismatis salubri mersisset: adoptata deinceps hæc est fabella à tota *Monachorũ* corte, etsi miretur Erasmus, potuisse cuiquam docto Theologo placere; propugnata deinceps à *Bellarminis, Estiensibus, Bailiis, Corn. à Lapide* & mille similibus, inventis vix paucis, v. g. *Barradio*, qui ambigerent aut contradicerent. Adeóque per claustra Monarchorum & monialium, præsertim si quando

Mo-

— *Monacho barbam petulans nonaria vellat,* proverbialis cujuspiam colorationis faciem habet, dicere, *Paulum Apostolum eadem urtica vexatum fuisse.*

Non possum præterire, quod mihi ante annos aliquot scripsit *amicus Clariss. Basileensis:* Se nempe sacrificulo, ibi diversanti, & in disputationem secum venienti, de monasticis inprimis Votis, objectâsse inter alia periculum sævituræ in cœlibatu non voluntario, nec judicioso libidinis, remedio imprudenter spoliatæ. Respondit furcifer; nihil id Sanctitati derogare, cùm & Paulus, sine ejus detrimento prurigines tentiginésque senserit, utpote qui dicat; alicubi (non potuit citare locum imperitus asturco) *Domine* nimm das Ding von mir hinweg. Ac nescio annon intra nostra quoque castra, si tamen nostra, reperibiles sint mirifici *pietaticultores,* quibus pari πωρώσει non videtur quicquam Sanctitati, sive *homini,* ut loquuntur, *interno,* heic vel seri, vel meti. Habeo, qui hæc in publica luce fateantur, sic, ut sibi perquam familiariter objectent, exprobréntque. Omitto autem hac vice, parum enim faceret ad ædificationis ἔπος. Videat quisque, quam pietatem colat!

(D. V. Paravicinus, Gymnas. Conrector meritiss. & celeberr.

Cur autem illa sententia, etiamsi ipsam absurditatem absurdiorem facere apta sit, invaluerit, divinare facile est, facit enim, ut vel ex superiori exemplo liquet, cucullatis nostris lastauris *bonum vultum* (*Leonis* phrasi) ὄιμοι, καὶ τρόσωπις ὄιμοι, quoties carnales affectus, & præ-

Verosimiles causæ cur hoc commentum invaluerit.

præjudicia debent esse interpretes S. Scripturæ, quam tamen nihil intelligit, quàm *cor purum, abnegatio sui & timor Domini* Psal. XXV. Cæterùm latâ hîc culpâ tenetur Interpres *vulgatus*, quisquis fuit, qui verba Pauli reddidit *stimulum*, voce ad improbitatem à Latinis sæpissimè flexa: & deinde *stimulum in carne*, utrumque contra Textum Originalem, ut nuper vidimus. Horum autem verborum is est *sonus* quidam peculiaris, ut mirum non sit, hominibus in illa palæstra exercitis, *verba prætextata* & *æquivocationes fædas* frequentare suetis, statim illam salivam in os venisse. Videmus ἐν παροδῳ, quantum subinde interfit, Interpretem Scripturæ esse exactum & prudentem simul; Sunt enim & alia loca, in *Jobo* & alibi, quorum profanissimus inter *juvenantes* abusus multam originis suæ partem, citra omnem fontium culpam, alicui tali, & facilè medicinam, si liceret, admissuræ, debent incuriæ.

Refutatio. Commentum illud de Pauli *uredine*, reputationem non meretur, & si meretur, occupata est dudum hæc opera à Theologis penè omnibus, inprimis *Chamiero*, *Riveto*, *Vechnero*. Sensisse virum provectæ jam ætatis, ἐν πόνῳ καὶ μόχθῳ, sub tantis oneribus, tot inter diurna jejunia & pervigilia vix spirantē pietatis per omnia rigidum satellitem, sensisse, inquam, illum stultas & stultificas ejusmodi titillationes, easque illi divinitùs datas, & quasi è cælo ab eo reportatas, idque demum, cùm capillus ipsi fieret senii confinio versipellis, illibata vernanti lanuginis ætate,

ætate, & *sine nota aut reprehensionis reatu* (ut ipse loquitur) sub Pharisæismo decursa, ejusmodi *scabie gloriari* Paulum, aut certè vix *ter* deprecatum eam, cùm in horam millies debuisset, eam colaphismi voce rectè exprimi potuisse, non exorabilem fuisse Deum, ut olidam ejusmodi æruginem ab electo vase suo abstergere vellet, sed potiùs firmasse, atque hanc rem visam Paulo perquam aptam, quam terminis improbum quid olentibus, publica epistola posteris transmitteret, iis ipsis nempe, quibus omnia cupidinis elementa eradenda adeò severè commendavit, &c.

Hæc inquam omnia, qui animo suo complecti & credere potest, næ is dignus est, qui *Papista* clueat, atque adeò *columen Papistici populi*, nihil tam rancidum, tam futile atque anile ructabunt aut vomet illi hesternæ Monachorum crapulæ, quin supposito *pileo*, ut olim cæteri Poëtæ Homero Archifabulatori feciſse finguntur, avidissimè excepturus & pro ambrosia voraturus sit: Id quod (si nulla salus saluti esse vult, aut potest) *prosit!* ad nausęam usque atque usque ad κύλισμα βορβόρου.

Ignoscite A. H. si nonnihil commotius hæc profero, neque enim aliter potest, qui indignitatem lutulentæ asperginis, & dignitatem sanctissimi Apostoli suo pretio æstimat.

Non sum nescius, plures evolvi, & in scenam produci potuisse, qui hac de re egerunt, & divinandi acumine quasi certârunt, v. g. *Saldenos, Witsios, Almelovenſios, Erneſtos, Ursinos, Bor-*

Aliæ rursus sententiæ, sed præteritæ.

remanſios, Hornbekios, Godvvinos, Daſſutios, Dauſquios, & quis enumeret? Sed aut ad manum non fuêre, aut recordabar, nihil eos dixiſſe, quod ad ſuperiùs recenſita non alicubi referri poſſit, aut potiùs feſſus eram tot conjectatores in ſibyllinis ſuis ſpecubus perſequi, cúmque illis facere *intelligendo nihil ut intelligam.*

Epicriſis. Nempe, ſi quis me roget, non diſſimulem, videri mihi eorum ſententiam optimam, qui ſe heîc *neſcios & luſcioſos* profitentur. Cùm ſint enim re ipſa omnes, ſine dubio optimos voces, qui etiam confeſſione ſint. Nullus hic pudor eſt, ut jam ſupra dixi. Neque enim hic articulus agitatur fidei, ſed circumſtantia perſonalis, quam Paulus, nec niſi coactus, innuere potiùs quàm declarare voluit, in plerisque cæteris ſatis apertus & vitreo clarior amne fluens.

Quòd ſi tamen quis laciniâ mordicus me tenere, & niſi numeratâ ſymbolâ amittere nolit, dixerim, eorum mihi explicationem quamoptimè ſapere, qui *complexu generali infirmitates, contumelias, neceſſitates, perſecutiones, anguſtias* PRO CHRISTO intelligunt, *verſ.* 10. eas nempe ipſas, quæ à Paulo *cap. prac.* inſtructâ quaſi acie productæ fuerant. Nec certè video, quid huic ſententiæ tantopere incommodet, niſi quòd oratio & phraſis Pauli *ſingularis*, in *ſingulari* poſita, *ſingulare* aliquid connotare videatur. Logici quidem *ſingulares* propoſitiones pro *univerſalibus* in ſyllogiſmorum formis amptruare facilè patiuntur; Verùm non utar eorum liberalitate, & fatebor, *incongruo* hîc locum

locum fore, nisi peculiaris eruatur ratio, cur sic *concentrare* gymnasia sua Paulus voluerit & debuerit, eam autem rationem existimo reperiri non difficulter posse. Solenne fuit pientissimo nostro Apostolo Christianorum vitam & casus tanquam ἐκλύπωμα aliquod minusculum referre ad *prototypum J. Christum.* Rom. VIII. 29. refert constitutum, ut fieremus συμμορφοὶ τῆ εἰκόνι χριστῆ & sic passim. Præprimis autem id captat, cùm *de se* agit, loca omnibus penè capitibus occurrunt: Huc etiam spectat, quòd sicut Christus, cupiit *Anathema* fieri pro populatibus, quòd vexationes suas ὑπερήματα, q: *residuas micas, guttas, spicilegium* passionum Christi vocat, item σπονδὴν *libamen*, aut sacrificiolum tenuiorum. Item quòd θανάτωσιν & *stigmata* Christi sibi tribuit, verbo, eò illum amor Christi perpulit, ut nil maluerit, quàm *pro modulo suo* esse aliqua Christi in omnibus *icuncula* &c. Hoc ut ageret in negotio Corinthiaco peculiaris quoque invitabat occasio, nempe *Corinthii* quærebant δοκιμὴν *demonstrationem, probationem, an in Paulo Christus sit & loquatur.* Vide XIII. 3. & mox: *Etsi Christus crucifixus est ex infirmitate, attamen vivit ex virtute Dei, ita nos quoque infirmamur* IN IPSO, *sed vivemus cum ipso.* &c.

Statuamus itaque, Paulum, dum sua narrat gymnasia, semper in oculis habere *Jesum suum*, & quæ illi per totam vitam, imprimis in fatalibus illis *vesperis* contigerunt, *inde mutuare orationis suæ schemata*, eò semper alludere, sic tamen

men ut sua non æquet, sed potiùs quasi παίδιον aliquod magnam illam molem similitudine referens extenuet, & tentemus annon id lucem verbis Pauli infusurum sit.

Christus non debuit *rapinam ducere*, triumpho ostentare, se esse *similem Deo*, debuit *exinaniri*, debuit per passiones *obedientiam discere*, non debuit *clamores in plateis tollere* &c. Paulus excellentiâ revelationum neutiquam ὑπερεχόμενος.

Christus totas *scolopum* segetes pertulit: Sævus ille mucro fuit, qui animam reddidit πέλυπον, corpus sanguine roscidum, & ad *renes* usque persedit. Excepêre hunc infiniti alii, κάλαμοι *perticæ* sive *arundines*, βακτήρια petulantium tortorum, crepitantia *flagra*, *spinæ* coronæ ritu caput mordacibus aculeis ambientes, funestus ille *palus* cum transverso tigno cervicem premens, *clavi* per pedes manúsque adacti: &c. Audet igitur Paulus voce *scolopus*, illa omnia significante, complecti & nonnihil comparare suas vexationes omnes, q. d. decerptus & intrusus mihi quoque est unus saltem ex *Corona* illa *spinea* Jesu Christi *aculeus*.

Porrò dubium nullum est, quin illi omnes, qui vel insidiis, vel conviciis, vel petulantibus & barbaris injuriis Servatorem nostrum olim vexavêre, proprioßimo sensu fuerint *Angeli* Σατανᾶ, *emissarii*, *satellites*, & *mediastini Satanæ*, cui quasi *Justo* (ut cum Propheta loquar) *flagitatori* Ἐξουσίαν aliquam habenti, Deus pro abyßo sapientiæ suæ habenas hîc contra genus pe-

peccatorum, sed subdito *vade*, permiserit: Certum quoque est, in faciem Christi *colaphis* multipliciter esse sævitum; Arridet ergo Paulo, his quoque vocibus suas adumbrare scabitudines.

Jam Christus *calicem* suum *ter* deprecans, Paulus id ipsum *ternis* precibus sollicitans: Christus repulsam ferens, Paulus perinde non exauditus: Christus tamen confortatus ab Angelo, Paulus vel voce cœlesti, vel etiam *angelo* jussus *gratia divina acquiescere*, quàm inter sese consonent, & quàm sine mutuo respectu narrata esse non possint, id verò, qui non est penitùs Ἐξομμαλὴς per se cernit. Et hoc jam est illud gloriationis Paulinæ fundamentum, *transformatum* se dicere posse *in effigiem Christi*, id quod expetere, etsi per aspera quæque, amoris summi est ingenium. Deus T. O M. illum in nostrum omnibus cordibus succendat, efficiátque, ut expetamus esse μιμητὰς Pauli, *quemadmodum ille fuit Christi* atque in eo, non verò in *pompis, titulis, plausu vulgi, opibus, commoditatibus mundi*, veram existere putemus seu dignitatem, seu gloriam, seu felicitatem. Post paucula momenta, ceu peractâ fabulâ, obvolvitur, imò disperit hoc *schema*; quàm felix, qui *ancoram in interiori sanctuario* defixit!

Atque hucusque progredi potuit navicula nostra, etsi plus residui itineris supereſt, quàm exantlati, complicamus itaque vela, & littus mordemus.

Magnif. D. Scholarcha &c. Expectastis

Peroratio.

sine dubio lautiora & examussitatiora, verùm ea ut dapinarem vobis neque *in potestate* mea fuit, neque fuisset *è re vestra*.

Non *in mea potestate*: homo hebes, vigoris exhausti, *temporis mei non dominus*, valetudine carens, iis verò omnibus probè instructus à quibus refugiunt Musæ, quo pacto, per hos inprimis Syrii fervores, potuissem ex me ipso effodere, quod vestris abacis fuisset dignum.

Non *è re vestra*: Nam si *celsiores* audissetis *revelationes*, dandus vobis fuisset & σκόλοψ, quem nescio an quisque vestrum Paulinâ lubentiâ domum reportâsset.

Æqui bonique ergò, quicquid fuit consulite, &, si quid excidit mihi à gustu vestro alienius, aut ἀπεικῶς condonate, aut meo quoque suffragio condemnate. Nihil enim puto me vel cogitare debere, quod à receptis sobrietatis & orthodoxiæ limitibus vel latum pilum abludat. Interim est suus cuique genius, genialísque stylus, quæ diversitas fortè non impedit, quo minùs omnes pro suo quisque modulo, boni, candidi, in rem communem, patriam, Musas, Veritatem & Deum fidi esse & haberi possimus, quod, nî fallor, omnes volumus.

Laudes gratásque grates Vobis toto pectore ago, quòd insigni & invidiosâ fortè frequentiâ me differentem circumfluere voluerítis, eidémque favori me meúmque in communem οἰκοδομὴν affectum proporrò commendo. Spero autem, Magnif. D. Scholarcham deinceps has partes aliis, quels χάνυ χλωρόπερον, &

& cætera omnia uberiora adſunt, demandaturum; dum ego ſi quid ſupereſt Lacheſi quod torqueat, quietem, ſi quæ eſt quies *in capite mali nautici*, ſecter, & vigiliis *nil profuturis* me abdicem, fruárque ſagaci illo monito: *Infelicibus nil agere ſemper eſt optimum.* Item illo: *Qui multa agit, ſæpe fortunæ poteſtatem facit ſui.* Bene ſit vobis omnibus, bene patriæ, bene Muſis Limagidibus, bene Eccleſiæ!

Soli verò ſapienti &c.

PRÆ-

PRÆLECTIONES
In
ROM. CAP. VIII. v. 19---23.
DE
CREATURA GEMENTE.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866290710/phys_0156
DFG

INTROITUS.

Magnifice D. Scholarcha, Auditores omnium Ordinum Amplissimi, Reverendi, Excellentissimi, Clarissimi, Nobilissimi, Spectatissimi: Ornatissimi item & Doctissimi

PRodeo rursus in coronam hanc, οὐκ ἑκὼν, ἀλλὰ διὰ τὸν διατάξαντα, non meæ spontis impulsu, (quid enim heîc quærerem? aut quis non *videt*, alioqui nimis *multos misera simul & ingrata imagine industriæ ad vilitatem sui pervenire?* Plin. Epist. 9.) Sed imperio *Magnifici D. Scholarchæ*, cui lubuit ad varias tergiversantis rationes esse surdo, me verò decuit capessere jussa, & bonum putare factum, quicquid is statuisset, bono & prono, ut dudum persuasissimus sum, in me animo. Prologo itaque Galeato nil opus esse video, illud solùm dicere *eis* contentus, quibus fortè vel illius mandatum, vel meum obsequium non est ad gustum, alias publicè aliquid agendi occasiones mihi deesse, partim quia forent captandæ, id quod à moribus meis abhorret: partim quia, quæ ultrò nonnunquam sese offerrent, quo jure quáve injuria, mihi video interversas, subinde cum Virgiliano illo *Ilioneo* nescius,

Quod genus hoc hominum, quaéve hunc tam barbara morem
Permittat Patria?

Scopum meum esse oportet, ut vos, A. Honoratissimi, oblectem themate aliquo, quod non minus jucundum sit, quàm utile. Etsi revera ad utrunque istum scopum, per rerum mearum statum penitùs exaruerim. Verùm est, ut dixi, mos gerendus *Magnifico D. Scholarchæ*, conatu saltem, si forsan non opere.

Scholarchatus sceptrum tum temporis tenuit Rev. & Celeberr. Vir, D. Joh. Casparus Hofmeisterus, L. Gr. Professor & Canonicus, nunc inclyti Canonicorum Collegii Præpositus meritissimus.

Non ita pridem delegi, & utcunque pertractavi materiam *de raptu stimulóque Pauli*. Is Paulus semper primus animo meo occurrit, quoties solidum, judicioſum, & retrusum quidpiam contemplari gestio.

— Juvat usque morari,
Et conferre gradum &c.

Quapropter & hac vice desumo mihi ex eodem decantatum *mihi saltem valde quadrans* thema, de *creatura gemebunda* tribus quatuórve prælectionibus, pro eo ac negotiorum moles, & fatiscens, vixque iis diu ampliùs suffectura valetudo patientur, evolvendum. Et hac quidem vice quædam nos detinebunt non pigenda forsan *prolegomena*, subsecuturis cogitationibus structura viam.

Deus T. O. M. κλησις & *Faber* omnium quæ sunt, & quæ à nobis proficiscuntur, bonorum, dexter assit nostro conatui, quò cuncta cedant ad nominis ipsius gloriam, quæ nobis suprema semper lex esto!

Vos A. O. O. H. impensè & veneranter roga-

rogatos velim, ut, quæ heic, deditò missâ aliisque relictâ omni affectatione, stylo familiari, disceptaturi sumus, ἁπλικῶς interpretari, & de universis nostris in rem literariam pro modulo juvandam conatibus, solitum vobis, hoc est generosum, benevolúmque in modum judicare dignemini.

PRÆLECTIO I.

LOcus, quem tractandum B. c. D. suscepimus, Rom VIII 19 &c. ita habet:

Ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία ———
Anxia enim expectatio ———

Hunc locum inter δυσνόητα Paulina Petro memorata 2. Pet. III. 16. atque adeò & *margini* apud Petrum ascribunt plerique. Nec ratione carent. Nam si ea, quæ apud Petrum immediatè præcedunt, *de expectatione fidelium, dum veniat dies Domini, solvantur cæli, & elementa ignientur & fluant, novus æther, & mustea tellus, justitiæ colonia exurgat*, cum Paulina narratione contendamus, servato utrinque receptissimo sensu, non potest non Petrus eò digitum intendisse videri. Dicit enim Paulum egisse περὶ τούτων, *de his ipsis*.

An locus iste numerandus sit inter δυσνόητα Petro observata?

Et profectò hîc subesse δυσνοητὸν π, satis *eventu* claret. Neque enim una omnium interpretum mens est, atque quæcunque, cujuscunque

que hactenus est, ἱδρῶτα περιπάροιθεν, *sudorem anteambulum* habet, omnes *Pauli expressiones* ad scopum suum accommodandi, & in oratione prosa poëticas figuras concinnè agnoscendi.

Dubitatur & cur?

Cæterùm liceat mihi quædam afferre, quæ vicissim dubium faciunt, an hic locus inter δυσνόητα Petro memorata referendus sit?

Nempe Paulus non suo solùm, sed & eorum, ad quos hîc scribit, nomine dicit: Οἴδαμεν, *scimus, quòd omnis creatura ingemiscit &c.* Quomodo igitur, si minutatim sciverant Romani fideles, ipsis, vel ejus temporis fidelibus erat δυσνόητον;

Præterea, si eorum, qui hæc duo loca conferunt, nota interpretatio valeat, velim ego videre judicioſum aliquem Theologum, cui videantur Paulina nostra magis δυσνόητα, quam illa Petri *de cælorum & elementorum incendio, ac fluore!* Annon sunt qui illa planè aliò referunt, quàm hactenus relata fuêre, nempe ad *eversionem Templi, & Hierarchiæ Judaicæ?* Quam sententiam ante annos non ita multos defendit *Clariss. Sam. Werenfelsius.* Accedit, quòd Petrus expresse agat de δυσνοήτοις, quæ occurrant ἐν πάσαις ταῖς ἐπιστολαῖς, *in omnibus* Pauli *epistolis*, quod sanè de præsenti materia dixisse vix poterat.

Tandem Petrus talia memorat δυσνόητα, *quæ ab indoctis & instabilibus torqueantur, & pervertantur in propriam perniciem* (ἀπωλείαν:) id quod certè apprime quadrat in dogmata illa Paulina de prædestinatione, lege, justificatione,

ne, forsan etiam de *stimulo*, & similia: minus verò in hæc episodia de suspirata *creaturæ liberatione*, velut res futuras, & (ut loqui amamus) problematicas, in quibus nullus datur ante eventum Στηλιγμὸς, & quarum ignorantia, aut παρεξμηνεία duriusculè diceretur ἀπωλείαν *solidam æternamque perniciem* accersere.

Nemo existimet frustra hoc à me observari aut afferri. Si enim certum non sit, Petrum ad hæc Paulina nostra intendere digitum, manet nobis tantò major libertas reperiundi commodi sensus, & tantò minus est à præjudicio periculi. Nam ut negari non potest, longè plurima S. Scripturæ loca, paulò obscuriora aliorum clariorum collatione felicissimè enodari: Ita vicissim non rarò experti sumus, pro luce tenebras dari, quando incautè conferuntur, quæ ad eundem scopum idémque tempus minimè spectant.

Nondum id de præsenti materia affirmamus, & quî possemus? Qui ad eam perpendendam accedimus animo planè libero, ut nihil cujusquam sine ratione vel rejicere, vel acceptare volentes, in timore Domini visuri, quid nobis Pauli verba devotè & diligenter introspecta parere velint, quod penè adhuc nescire nos ultrò profitemur.

Qui hoc culpet, is quæso cogitet, annon id ipsum diversi diversarum interpretationum authores πεωλόπειροι factitare necesse habuerint? Quid jam? Fortasse (ut de aliis πεωτείοις indulgeam) non comederunt tot festorum Jovis

vis glandes, ac nos; fieri etiam quoad alios possit, ut jam lucrosis quibusdam hypothesibus imbuti ad hanc indaginem accesserint, à quibus nos, nullis nostris ingratiis, sumus liberi.

Liceat ergò fingere, nos vivere ante omnes Pauli commentatores, & nuda Apostoli verba, unà cum reliquis scripturis habere præ manibus, inveniendámque nobis ex ipso Paulo comodam interpretationem, efferendámque lucem, non inferendam. Sed mediâ quadam viâ ingrediemur.

Rectè autem atque ordine facturos nos existimo, si

Dicendorum distributio.

I. Scriptorem hujus epistolæ (quoad huc opus) scriptionis tempus, itémque genium utriusque, nec minus eorum ad quos scriptum est, statum,

II. Verba ipsa philologicè,

III. Sententiam unam alterámve, (quarum ignari esse non possumus,) ponderemus monstratis earundem commodis æquè ac incommodis.

IV. Tandem nostram, quæcunque ea, Deo juvante, resultabit, perspicuè subjungamus, aut, si jam occupata ab aliis videbitur, pro nostræ conscientiæ gustu confirmemus, & illustremus.

Pauli, Scriptoris icon.

A. Scriptor totius epistolæ est *Paulus*, Vir θεόπνευστος, si quisquam. Sed cùm Spiritus Sanctus à lapsu præservare contentus, sua sacris scriptoribus non mutaverit ingenia, aut acquisitas

ſitas ſeſe exprimendi facultates, licet porrò obſervare, fuiſſe virum eruditum, profundum, Rabbinicæ ſapientiæ compotem, ſed, pro eo ac Gentium fuit Apoſtolus, nec exoticorum incurium, utpote ex quibus ſubinde aliquid inſpergere eſt auſus, non admodùm probando, ſi *hûc & nunc* viveret, more; Cæterùm verborum, phraſium, & ſuperſtitioſæ methodi (ut ſolent verè eruditi) incurium, prudentem, cautum, & à contemporaneis epiſtolarum receptoribus intelligi ſatis habentem, ſi videlicet quid tractaret ad fidei fundamentum non omnino pertinens.

Scripſit is ad *Romanos* ſcil. ſui temporis (nam *contra hodiernos* ſcripſiſſe, non Proteſtantium modò Theologi, ſed & Pontificii jam tandem magno numero fatentur.) Videlicet ad illos Romæ habitatores, qui magnam partem ex Gentiliſmo, aliquam tamen etiam è Judaiſmo, erant converſi, & fideles quidem facti, ſed vario ad conſtantiam ſuſcitabulo in tenera illa lanugine opus habentes. Quibus fortè omnibus inoleviſſe nonnihil poterat illud Auguſti Cæſ. dictum: *Bonum eſſe civem, qui præſentem Reip. ſtatum mutari nolit.* Sed fas eſt inprimis de converſis ex Judaiſmo, & Romæ eâ religione pacatè ſatis hactenus viventibus credere, ſubinde illis quaſi *ructus* quosdam heſterni obſonii (ut olim in deſerto) in buccam veniſſe, ne rectè obliviſci poſſent ſua παρατηρητὰ, ſuas magnificas ſpes corporales, præcipuè ſuaviſſimum illud embamma de

Eorum, ad quos ſcripſit, genius & ſtatus.

Ju-

Justitia operum,& pietate, ut sic loquar,*usuraria,* in qua, velut in taberna mercatoria expensa & accepta jugiter vicissitare debeant. Quæ certè pestis ut fæcunda est vel in ipso orthodoxiæ sacrario,ita difficillimæ curationis. Forsitan etiam *Ratio Status* subinde requirit, ne curetur,sed foveatur potiùs aliquantulum.

Poterat autem & illud Proselytis Romänensibus valde in mora esse,quòd viderent discrimina ob susceptam Christi fidem valde præsentanea: Præmia verò valde è longinquo ostentata, eóque,pro more impatientiæ humanæ, ea non putarent satis explorata & certa. Est autem id omni penè *Justitiariorum* nationi in more positum,ut lubenter sese *propinquis* quibusdam *spebus* titillent, atque oblectent, nec *pace & gaudio in Spiritu Sancto* interim abeant contenti.

Alios istorum Neophytorum defectus,qui ad institutum nostrum minùs spectant, & posterioribus Epistolæ capitibus occasionem præbuerunt, memorare supersedeo.

Institutum Scriptoris.

Paulo visum est mederi his omnibus, inprimis hoc capite octavo certitudinem præmiorum fidei in Christum clarissimè & potentissimè astruit,quasi indubitabile consectarium lætámque catastrophen totius œconomiæ salutis & *extimum annulum*, cui trahendo tota sibi mutuò implexa serviat catena.

Inter hæc agenda incidit Apostolo (afflatu Sp. S.) flectere fidelibus suis telescopium simúlque oculorum aciem, ad quædam, quæ extra

extra illos, sed tamen ante pedes erant, quæ κλίσιν *creaturam* vocat, & quam observare possent *expectatione quasi parasitica felicitatis filiorum Dei gravidam, & mox rumpi gestientem*, quem motum & instinctum illi neutiquam impressisset creator, si destituere & frustrari illum vellet. Utpote qui *fabricam* suam, (quæcunque ea hîc est) non instituit ad perpetuam φθορὰν *corruptionem*, ut pro amphora urceus exeat. *Opera enim rupis nostræ perfecta sunt.* Videatur locus Eccl. III. 14.

Atque hoc pacto hactenus concipimus *scopum* Apostoli. Si in progressu tractationis aliud quid & rectius occurret, candidè ingeremus, non ab aliis tantùm sed & à nobis ipsis, ubi veritas postulaverit, lubenter dissensuri. (Ejusdem scopus peculiaris.)

Non abs re est nunc breviter indagare, quo tempore rerúmque statu hanc Paulus epistolam scripserit. Annum alii à nato Christo assignant 54. alii 56. alii 59. alii 60. æræ videlicet vulgatæ: atque adeò in sua quisque Chronotaxi hanc epistolam alii numerant quartam, quintam, sextam, imò septimam. Hæc cum passim disceptata visi possint, haud nos hîc morabuntur. *Ligtfoti* sententiâ, quæ & veterum est, & rationibus non contemnendis apud eum firmata visi potest, scripsit hæc Apostolus anno 56. qui fuit *Neronis* secundus. (Tempus scriptionis.)

Jam qui legit Cap. I. 8. & 13. Cap. XV. versum 19. & totum XVI. is cum stupore videt, quantos jam tum progressus Ecclesia fecerit, vel adeò, ut Apostolus, quasi subacta jam interiori

riori Europa in extremitates expeditionem agitaret, nempe in *Hiſpaniam* v. 24. Quæ obſervatio in ſecuturis ſuum uſum habebit,

Grandes eo tempore depravationes.

Nondum *dormiverant homines*, & tamen jam audacter infelix ſuum *lolium ſpargere* ille ſcelerum ſator & occator cœperat. Exorti paſſim, qui religionis commoditate avaritiæ, ambitioni & voluptatibus, *τῇ κοιλίᾳ, ventri*, proſpexerunt, venenatisque blanditiis diſſidia & factiones fabricarunt, in eo turbido piſcaturi. Rom. XVI. 17. 18. Incepêre jamjam Judæi æquè ac gentiles chriſtiano ſanguini eſſe infeſti, & variæ ſeſe expromere afflictiones. Vid. Rom. VIII. 35. fin.

Judæorum,

Judaica gens ambulabat tunc quaſi in crepidine barathri ſui, vix unquam tamen magis ludificata à *Pſeudo-Meſſiis* ſuis, & cuivis Agyrtæ credula, ut vel ex Actis notum eſt.

Imperii. (Ita quondam Anglus uxori in Hiſpania degenti ſe ſubſcripſit: El menor de vueſtros maridos.)

Ad imperii clavum hactenus federat *Claudius*, minimus ex Meſſalinæ maritis, inceſto poſt conjugio junctus Agrippinæ minori, quæ venenatis boletis interempto dein ſuffecit filium ſuum Dom. *Neronem*. Et *Claudius* quidem ſatis notus eſt, ſi vel nihil aliud legerimus quàm illam Senecæ *Apocolocynthoſin, incucurbitationem*, (*apotheoſin* dicere voluit) Ignaviſſimus mortalium, aleam & libidines ſi excipias; ita ut tum Orbis ferme à malis illis mercibus, *meretricibus, proſtibulis, embaſicœtis* non tam regeretur, quàm petulantiſſimè raptaretur. Nihil usquam quietum, nil tutum, aut impollutum, conf. Cap. I.

Oc-

Occuluit quidem *Nero* tempore scribentis Pauli detestabilem suam adhuc improbitatem, sed mater Agrippina, impotens & scelerata mulier pro lubitu omnia susque deque vertit, jecítque aleam, in qua postea sese exercuit abominabilis illa proles.

Ipsa *Natura* nil videtur habuisse nisi luctuosum. Memorant scriptores sacri & profani famem sub Claudio non unam, ostenta cælestia, incendia, terræmotus, diras tempestates; quæ omnia sigillatim proferre longum esset; Et hæc scierant viderántque Romani, ad quos scripsit noster, fideles. (Naturæ ipsius.)

B. Tempus nunc est, ut ad ipsa Pauli verba veniamus, eorúmque emphasin & abstrusas significationes, mente nusquam adhuc defixâ, ponderemus. Transitus ad expendenda Pauli verba.

Negavit Apostolus *hujus temporis*, sive quo ipse vixit, sive quo omnes vivunt fideles, *adflictiones quicquam proportionis habere ad gloriam illam futuram*, in fidelibus quoquo tempore *revelandam*. vers. 18. Dein subjicit: Ἡ γὰρ ἔντονα-ευδοκία. ΚΛ. Particula γὰρ ordinariè significat NAM, vel ENIM. Sed observatur subinde πάρελκειν, *venustè abundare*, certè in Platone toties: Vel etiam significare, UTPOTE, VIDELICET. Vid. *Devarius*, & *Vigerus*. Ut ita non perperam hîc latinè scribas: *Ipsa utpote, vel utique anxietas* &c.

Subjectum totius hujus narrationis Paulinæ, de quo aliquot prædicata confluunt, semper *Creatura* vocabulum.

per est κτίσις, & semel πᾶσα ἡ κτίσις: *Creatura, omnis creatura.* Syrus interpres jam statim ab initio habet כֻּלָּה גִיר בְּיִתָא *omnis enim creatura,* id quod oratio Pauli etiam postulare videtur. Vox est significationis admodùm latæ, descendens à verbo κτίζω, quod *creare, condere, fabricare*, item *ad habitationem instruere* significat. Proxima itaque κτίσεως significatio est, *creatio, fabricatio* &c. veluti *actus.* Sed deinde recepto usu *fabricam, creaturam,* aut (ut ita loquar) *productum* ipsum significat, κτίσμα alioqui dictum. In codice Sacro novi testamenti habemus νεὰν κτίσιν, *novam Creaturam* pro homine regenito & pro eodem πόιημα κτισθὲν ἐν χριστῷ *fabricam creatam in Christo.* Πᾶσαν κτίσιν pro *omnibus nationibus*, quibus Evangelium annunciandum erat, videlicet & Judaica, cui ἀναγκαῖον, *necessarium* erat, vel primò heic prospicere: ἀνθρωπίνην κτίσιν, pro *constitutione Rerump. & magistratuum,* quemadmodum & *Livius* plus millies, credo, dixit: *creare consules, creare tribunos milit: creare decemviros, duumviros, dictatorem* &c.

Lubet hîc in gratiam philologiæ studiosorum observare, falsum esse, quod vulgò existimant voces κτίσιν, κτίζειν, ברא semper significare *creationem ex nihilo.* Non certè, observante *Aben Esra* Gen. I. 21. *Creavit Deus cete.* Num ex nihilo? Ita vetustissimis Theologis, præcipuè, qui ante Concilium Nicenum scripserunt, notabant hæ voces non solùm *creationem,* sed omnem generaliter *productionem,* tam quæ ab æterno esset, quàm illam, quæ in tempore,

Valles. not. in Euseb. p. 8. Ita *Socrates* Lib. II. 21. dicit in loco Salomonis Prov. 8. 22 τὸ ἔκτισε *positum esse pro* κατέταξε, ἢ κατέστησε, & τὸ κτίζειν *non semper notare* τὸ γεγονὸς ἐξ ἀνυπαρξίας.

Quàm latè pateat vox κτίσις, id verò nemo clarius docet ipso Apostolo, in ipso hoc nostro capite, vers. 38. 39. ubi postquam catalogum fecisset variarum rerum, substantiosarum & non substantiosarum tandem subdit: ὅτε τὶς κτίσις ἕτερα, *neque alia quædam creatura.* Idem cum Hebr. IV. 13. dicit καὶ οὐκ ἔστι κτίσις ἀφανὴς ἐνώπιον αὐτοῦ, *non est creatura inconspicua coram illo*, sine dubio non varias substantias tantùm, sed & earum varias *cogitationes, molitiones, mutationes, eventus* complectitur. Conf. Psalm. CXXXIX. 2. 3. 4. Italus sumit pro collectivo, & plur. vertit: *Le creature*

Veniamus ad prædicata.

Primò. Apostolus τῇ κτίσει *creaturæ*, tribuit ἀποκαραδοκίαν; qui etymologiam sequuntur ducem (rarò fidum) ii vertunt *attentam observationem, aut expectationem quasi exerto capite, per fenestram scil. aut in altum.* Nonnulli *anxiam simul, & avidam, vehementem.* Quæ sanè, sensu proprio, non est nisi *animalium*, imò *hominum.* conf. Psalm. CXLV. 15. Talis fuit olim ἀποκαραδοκία *Judæorum* novilunia expectantium, item *Matris Sisseræ* per fenestras caput exerentis, & auriculas arrigentis, nec sine inquetudine expectantis, quando rediret suus *Villarsius* triumphis & prædis locupletatus. Jud. V. 28. Sed sine dubio hæc bonæ vetulæ ἀποκαραδοκία ἀπο-καραδοκία.

κία nacta est significationem, quam Suidas ponit, *desperationis*, nullis tamen allatis exemplis.

Non existimo, hoc decompositum exoticis esse in usu, etsi composito καραδοκέω sæpe utantur: (v. gr. Cic. ad Att. IX. 12. τὸ μέλλον ibi καραδοκήσεις.) Sed recurrit Phil. I. 20. Sunt, qui non ineptè *prospectationem* vertant. Cocc. *in h. l. circumspectationem* aliquis non pessimè diceret, qualis est Psalm. CXXI. 1. si locus ille debitè vertatur. Rectè etiam *Hilarius* observat, quadrare *de re longinqua, aut ex longinquo ventura.* Psalm. XXXVII. 7. ubi David habet: *Sile Jehova, & dura illi*; ibi *Aquila* ponit ἀποκαραδόκει

Ἀπεκδοχὴ seu expectatio.

Secundò, Paulus non satis habens ἀποκαραδοκίαν creaturæ tribuisse, facit eam ἀπεκδέχεσθαι *expectantem* τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ θεοῦ, *revelationem aut retectionem filiorum Dei*, unde fortè colligere est, priori illi voci nondum fuisse inclusam *expectationem*. Conferatur rursus locus Phil. I. 20. ubi ἐλπὶς, *spes* est post ἀποκαραδοκίαν, quasi fortius & augustius quidpiam. Cæterùm verba ista Grammatico sudore non magnopere egent. Unum id dixero, ἀποκάλυψιν, quando in Sacris non jam de rebus, sed de personis usurpatur, solenter significare aliquid magnificum & glorioſum, aut etiam tragicum. Loca habet *Suizerus in Thesauro.*

Suspirare & parturire.

Tertiò neque ἀποκαραδοκία, neque ἀπεκδοχὴ Paulo hîc sufficit, tribuit insuper creaturæ ὅλῃ συστενάζει καὶ συνωδίνει, quòd *unâ suspiret, & unâ parturiat*, vel doleat; *societate* & *choro quodam*

gemen-

gemendi inter ſeſe inſtituto; quo ſenſu Virgilius:

Congemit omne nemus: ——

Nam non videtur conſentaneum, ut in hunc comitatum jamjam recipiamus υἱὸς Θεοῦ, *filios Dei, fideles*, quippe de quorum concentu Apoſtolus planè peculiariter agit, verſ. ſeq. ſeu 23. οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς στενάζομεν, *non ſolùm autem* (creatura) *ſed & nos ſuſpiramus.* Nemirem autem fugere puto, quid στένω, στενάζω, στεναγμὸς notet, nempe artati cordis ægrè eliſum inarticulatum quendam ſonitum, *ductum pectore ab imo ſpiritum*, quem Horatius amatorculorum facit indicium. Solent autem Poëtæ illum venuſtè tribuere variis rebus inanimatis, v. g. *nemoribus vento flagellatis, cælo tonanti, cavernis equi Trojani, ſutili Charontis cymbæ, orno bipennium ictibus jamjam caſuræ, plauſtris onuſtis, portis hiſcentibus*, & ſimilibus infinitis.

Ὠδίνω frequentiſſimè ſignificat ſimpliciter *dolores ſuffero.* Non poſſum, quin huc afferam locum ex *Homero*, qui ipſiſſima hæc, quæ Paulus, duo verba conjungit, loquens de Polyphemo, cui Ulyſſes oculum,

quem ſolum torva ſub fronte gerebat,

ignito ſtimulo effodit. Verba ſunt:

— Στενάζων τε καὶ ὠδίνων ἀδυήσι. *Od.* X. v. 415.

Gemens vehementésque cruciatus perferens.

Sed præterea ὠδίνω ſignificat *parturio, ſum in fructu mox effundendo, debitis* videlicet *nixibus.* conf. Apoc. XII. 2. Gal. IV. 19. Hanc quoque

Uſus vocis *parturiendi*, apud alios auctores.

vocem de variis inanimatis reperias. Memorabile est illud Act. II. 24. ubi Deus dicitur Christum suscitasse λύσας τὰς ὠδῖνας τῦ θανάτυ, *solutis mortis doloribus, quasi videlicet indignantis & optantis ejicere hunc embryonem, velut olim cetus Jonam,* aut Juppiter Palladem. *Gregor.* invect. 2. in Jul. ἐπι τῶν ῥωμαικῶν ὠδινύτων, *cùm adhuc res Romanæ variis laborarent malis.* Horatius: *Parturiunt montes* &c. Inprimis huc spectat illud Ciceronis I. ad Att. *Utinam aliquando dolor populi Romani pariat, quod jam diu parturivit.*

Non possum non (pace quorundam Sinapivororum, *avalemoutardes,* ut vocavit olim *Beza*) festivo exemplo illustrare latissimum hujus metaphoræ usum. Apud *Comicum* in Sticho famelicus parasitus, postquam dixisset, *se suspicari famen fuisse matrem sibi, quod postquam natus sit, satur nunquam fuerit,* tandem subdit:

— *Me illa in alvo menses gestavit decem,*
At ego illam in alvo gesto plus annos decem:
Atque illa puerum me gestavit parvulum,
Sed ego non pauxillulam in utero gesto famem,
Verùm herle multò maximam & gravissimam.
Uteri dolores mihi oboriuntur quotidie,
Sed matrem parere nequeo &c.

Cuicunque igitur *personæ* vel *rei* tribuatur τὸ ὠδίνειν, clarum est, significare *dolorificam liberationis alicujus, vel gaudii alicujus cupiditatem, cum connisu, intendendi etiam doloris, modò per id abrupta fructum optatum sistat.* Addit Apostolus ἄχρι τῦ νῦν, *usque ad hoc tempus,* scil. concinit crea-

creaturæ gemitus. Ubi duo notanda puto: Alterum, quòd hæc phrasis connotet longam durationem, quæ nunquam interrupta fuerit: Alterum, quòd eadem nihil abscindat, sed potiùs eam durationem porrò extendat & portendat. Ita Matt. XI. 23. *Sodoma mansura* μέχρι τῆς σήμερον, *usque ad hunc diem* & XXVIII. Logus, *de Christi corpore furtim harpagato*, μέχρι τῆς σήμερον. At notum est, miseros apellas hanc fabellam adhuc constanter post tot secula gannire. Sic 1. Cor. IV. 11. & in Vet. Testamento sexcenties, *Bullingerus* τῇ ὑποθέσει δηλοῦν vertere cuperet, *quoad hic sunt*, & confert 2. Cor. V. 2. Joh. XVI. 21. 22. qua de re suo loco.

Quartò: Apostolus de creatura prædicat, *quòd vanitati subjecta sit, & servituti corruptionis.* Sic enim dicit; τῇ ματαιότητι ἡ κτισις ὑπετάγη, & mox, τῇ δουλείᾳ τῆς φθορᾶς. Videbimus rursus præcipuas voces.

Ματαιότης à μάτην, *frustra* dicta, inanitatem & vanitatem notat, sed non uno modo. Potissimùm convenit cum Hebr. ריק frustrationem notat, *operam lusam.* Ein vergeblich bestreben/ qualis est eorum, qui pertuso cribro imbrem ingerunt, aut in Lunam, cum Patre *Lana* navigare volunt, aut (ut *Nyssenus*) ὡς τὸ τῶν παιδίων ἐν ψάμμῳ οἰκοδομήματα. conf. Psal. II. 1. Jac. I. 26. Luc. V. 5. Vanitas.

Sæpissimè notat *statum seu conditionem rerum fluxam & fugacem*, velut vaporis, ad imitationem Hebr. vocis הֶבֶל. Subinde *rem frivo-*

lam, nugatoriam, minimæ entitatis, quam jubemur *cernere ſoldo*. Loca ſunt obvia.

Eſt cùm ad animum transfertur, & veritati opponitur, notátque *ſpes*, *cogitationes*, *affectus*, *ſermones*, *oſtentationes ſtolidas*, *futiles*, *mendaces*, *ſui*, *aliorúmque deceptrices*. Rom. I. 21. 1. Cor. III. 20. Ita *Ciceroni* ferè ſemper latinum vocabulum *Vanitas* venit. Hoc ſenſu ſuum inde derivaverint vocabulum *Itali*, v. g. cùm dicunt: *Mathematici, matti, matti*. Intelligunt autem ſuâ linguâ non nobiliſſimæ illius ſcientiæ, quam *Mathematicam* vocamus, cultores, ſed *Aſtrologiæ judiciariæ* mangones. Habent etiam Germani eodem penè ſenſu aſſonans vocabulum: Maz/ vel Maztaſche. *Serotinus*.

Corruptio. Φθορὰ eſt corruptio, interitus, velut rei quæ φθειρόσει, hoc eſt, *tinearum, vel ſenario um mordicibus, aut tabe exeditur*. Trahitur autem & hæc vox ad animi vitia, Apoc XIX. 2. quæ ſignificatio an huc pertineat, videbitur ſuo loco. Meminerimus interim, haud rarò φθορὰν in Sacris conſiderari, ut ingreſſum ad ζωοποίησιν, 1. Cor. XV. 36. imò nec ſemper omnimodam perniciem, aut ſolutionem notare, ſed ſæpe *læſionem*, *noxam*, velut illud Hebræorum חֶבֶל v. g. Mich. II. 10. 2. Cor. VII. 2.

Ejus ſervitus. Jam verò δουλεία τῆς φθορᾶς, *ſervitus corruptionis*, quam creaturæ Apoſtolus tribuit, ſine dubio *neceſſitas* eſt quæpiam, quâ conſtricta incommodum hoc evitare nequit, quia ſcil. ὑποτάγη *ſubjecta* eſt, *juſſa* ire in hanc ſortem, & tueri hunc *ordinem*, hanc *ſtationem* &c. Nonnulli

li tamen ὑποτάξεως ἕνεκα, quantulamcunque subordinationem, aut *participationem* intelligunt.

Quintò subdit Apostolus: οὐχ ἑκοῦσα, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα, *non volens, sed per eum, qui* ita *subjecit*. Quibusdam videtur illud οὐχ ἑκοῦσα etiam verti posse, *non suâ culpâ*. Viderint. De præpositione διὰ observo, eam vix bene vulgò reddi *propter*, cùm non Genitivo, sed Accusativo hîc jungatur, adeóque more Græcorum causam potiùs, sive efficientem sive instrumentalem designet: PER. Nolim autem dissimulare, cum hoc ipso casu apud Græcissimos scriptores sæpe significare τὸ ἐμὸν μέρος, *quantum in me, quantum in illo est*. Sic etiam Latini: Involuntaria.

Ipse quidem per me sospes tutúsque fuisses.
Ovid.

Ægrota, si vis, per me quidem ætatem. Plaut.

Et hoc pacto sensus Apostoli foret: *Creatura vanitati obnoxia facta est, non suâ naturâ huc devecta, sed, quantum in eo fuit, qui eam subjecit*. Sed nihil hîc affirmaverim.

Sequitur ἐπ' ἐλπίδι, *sub spe*, disquiritur, an hæc verba spectent ad *creaturam*, ut ipsa spem alere dicatur: an verò ad τὸν ὑποτάξαντα, *subjicientem*, ut is intelligatur *spem de ea meliorem, quoad futurum, fecisse*? Ego non video, cur usitatam interpunctionem mutare, aut creaturæ *spem* negare possimus, cui ἀποκαραδοκία, & ἀπεκδοχὴ jamjam tributa fuerat. Neque etiam Græcæ aures aliter hæc legi ferrent, quàm ut leguntur. Creatura igitur εὐελπίζει, *bene sperat*, Spes creaturæ.

quæ

quæ si fortè hîc ex parte *inanimata* est, sciamus, stylo S. Scripturæ etiam in inanimatis esse *Elpisticorum sectam.* Ita *insulæ sperant*, Esa. XLII. 4. *arbor sperat* Job. XIV. 7. & alia multa.

Liberatio creaturæ.

Sextò tandem Apostolus creaturæ portendit *liberationem in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Ubi observare licet, aliquod fore temporis discrimen, nam dum *liberatio* eveniet creaturæ, jam *libertas* nata factáve erit respectu filiorum Dei. Memini, quasi per nebulam, quosdam, salvandæ suæ hypotheseos causâ, *de annihilatione Mundi*, illam præpositionem ἀπὸ interpretari διὰ, *per*, ut creaturæ non libertas, sed per alienam libertatem liberatio, h. e. *annihilatio* accessura sit. *Chrysostomum* (ni fallor) habent inventiunculæ authorem, quamvis is de cætero hoc dogma neutiquam probaverit.

Ἐλευθερία τῆς δόξης, sine dubio valet ἐλευθερία ἔνδοξος. *gloriosa liberatio*, quæ de utraque vita dici potest.

PRÆLECTIO II.

ET hæc grammaticari libuit. Veniam ab iis petimus, quibus nimis prolixi, veniam rursus ab iis, quibus non satis solertes visi sumus.

C. Nunc animus est progredi ad rem ipsam, & *quæ illa κλῆσις sit, qui ejus gemitus, quis status, quæ liberatio*, uberiùs discutere. Cavimus jam

supra

supra, velle nos huc afferre animum planè liberum, & solis Pauli verbis addictum. Infiniti sunt authores, qui in hac palæstra sive meditando, sive aliena sese consarcinando exercuerunt, tum in comentariis integris, tum peculiaribus dissertationibus; tum ex professo, tum (ut videri volebant) incidenter. Horum centum aut ducentos, sive è suis, sive ex alienis forulis, aperiret aliquis alius, *primò in indicibus*, dein in serie, & converreret, magno potiùs quàm difficili labore, quæcunque ad πολυγνωσίας, aut divitis bibliothecæ ostentationem facere viderentur. Forsan aliquis & in nummis marmoribúsque veteribns quidpiam reperiret, sine quo penu neget quicquam in ulla scientia rectè succedere. Et est certè in eo nostrum seculum, ut sumptuosa omnia faciendo opiparos etuditionis aut saltem claritudinis rivulos ad solos ὀπενθέξες deflectat, imitatu videlicet reliquorum Politicorum.

Nos hunc gustum sequi neque valentes, neque etiam volentes, in hac materia expendemus aliquot sententias, quarum meminisse possumus, præcipuum laborem lubentiùs meditationi dicaturi.

Sententiarum de Pauli sensu grande divortium.

Vix autem existimo unicum in S. Scriptura locum esse (excipio illum de *cadavere & aquilis*, Matt. XXIV. 28.) qui explicationes passus sit adeò è diametro, & toto cælo contrarias. Alii enim per ἀετὸν intelligunt *animata*, alii *inanimata*, alii *Angelos*, alii *Diabolos*, alii *homines*, & hos alii *conversos*, alii *non conversos*, alii *animas excorporatas*, alii *corpora*, alii *totum*, alii *partes* &c.

Eorum sententia, qui homines fideles per κλῆσιν intelligunt,

N. *Hominem*, eúmque *fidelem*, adeóque Ecclesiam militantem, sunt qui intelligant, puténtque sic omnia fore plana atque concinna, convenire illi ἀποκαραδοκίαν, & *gemitus*, ut exauspicata ex variæ vanitatis compedibus societur choro triumphantium in cælo, hujúsque studii sui duces & simul commilitones habere inprimis *Apostolos, qui primitias spiritus acceperint.* &c.

Hanc sententiam primi, quod sciam, protulerunt *Zvvinglius*, ut docent excepta Leonis Judæ. Annot. p. 427. Et *Bullingerus*, *Expositi, in h. l.* elaboravit deinde *Rivetus*, nec procul abit *Clericus*, si memorare eum licet per Cl. Petrum Burmannum, qui his diebus sale adeò Archilocheo illum perfricuit, & ante 10. annos Lipsiæ peculiari dissertatione propugnavit *Cl. Thomas Ittigius*, Theologus Augustanus, sed videtur invidere nonnihil nostratibus, *Bullingero* saltem, nam *Zvvinglium* vel non vidit, vel morosè neglexit, inventionis gloriam, dum ex *Gregorio Mag.* & *Remigio* quædam huc torquet.

Et sanè hæc sententia præclaras habet commoditates: Stringit quàm proximè metam scopúmque totius capitis, levat nos necessitate agnoscendi προσωποποιίας duriusculas, & Paulo insuetas, concinit illis, quæ habentur 1. Cor. XV. 2. Cor. IV. & ad ædificationem ita facit, ut nulla magis facere videatur.

Et (quod illorum nemo observavit) ea, quæ vers. 24. 25. sequuntur, de SPE fidelium, quasique illa ipsa ἀποκαραδοκία, ita concepta sunt,

sunt, ut nos cogere veluti videantur ad interpretationem istam amplectendam.

Incommoda, quibus laborat.

Sed vicissim dissimulandum non est, esse varia, quæ illi in mora esse possint.

Ante omnia *novitatis* præjudicio graviter laborat, (quod semel observatum, etiam cæteris quibusdam applicari velim.) *Est autem* uti sciscunt cordati, verbis *Jesuitæ Theophili Rainoldi*, erotem. de mal. & bon. libris. p. 250. *Est*, inquam, *haud dubiè argumentum judicii minùs exquisiti, nec satis maturi, vel emuncti, ferri facilè, & absque urgente ratione, extra viam: Ita, ut quamvis res de qua agitur, ad Scholæ tricas merè pertineat, nec inde dispendium ullum doctrinæ fidei, vel sanis, ac puris moribus sit timendum, consultissimum sit, quando manifesta ratio non urget, ab anteriorum placitis non discedere.* Hæc ille, quæ suo loco relinquimus, æquè ac illud Comici:

Qui vino veteri utuntur, eos sapientes puto,
Et qui veteres lubenter lectitant fabulas.

Præterea difficile est intelligere, cur Apostolus de fidelibus aut Ecclesia militante loqui volens adhibuerit vocem κτίσεως, *creaturæ*, quæ solitaria (aliud enim est πασα κτισις) in toto contextu sacro hoc sensu nusquam monstrari possit. Profert quidem Cl. *Ittigius* locum Marc. XVI. 33. & revera *Zvvinglius* & *Bullingerus* eo satis speciosè uti poterant, qui per κτίσιν *hominem* simpliciter intellexerant, non exclusis adhuc inconversis, in eo haud alieni à sententia *Augustini*. Verùm an, quæso, pro intelligenda Ecclesia militante parallelus est? An non potiùs

tiùs significat *convertendos, imò & non convertendos*, certè de isto negotio nondum conventos?

Quærit vicissim Vir Clariss. ubi ergo κτίσις significet meras *substantias inanimes?* At nos, si fortè hanc sententiam amplexuri sumus, respondebimus suo loco. Interim hæc oratio est, quasi assensuri, ut omnino κτίσις significet NIHIL. Et hoc sæpiculè usu venit, ut malint seculi nostri συζητητὰ *verba nullum habere sensum, quàm non suum*, prout ille Ajax apud Ovidium:

Arma viri fortis medios mittantur in hostes,
Inde jubete peti &c. ———

Porrò huic sententiæ (de Ecclesia militante) magnopere obstat, quòd Paulus eam *opperientem* facit *retectionis filiorum Dei, & sperantem ὅτι καὶ αὐτὴ, quod etiam ipsa liberanda sit, ad eorundem libertatem*, sic enim manifestè disgregatur à filiis Dei, id est *fidelibus*. Torquet id nonnihil hujus sententiæ Patronos, quorum replicationes, & triplicationes nolo adducere, & fortè non adductas ipsi malint, adeò sunt debiles. Vid. qui volet apud *Ittigium* Thess. 58. seq. Inspiciendus solummodò textus, & ei permittendus nativus significandi genius.

Aliam potiùs memorabo difficultatem, quam nullus eorum, quod sciam, prævidit. Nimirum necessum habent hujus explicationis Patroni vers. 23. per illos, qui *primitias Spiritus nacti sunt*, & inter quos se Paulus annummerat, intelligere in prima illa Pentecoste cælesti illo igne perfusos Apostolos. An verò id Paulus de

se

se dicere potuisset? Utpote qui totannis post conversus fuit? Quid heic responsuri sint, certè non video.

An κτίσις significet paganismum?

ב. Accedimus ad sententiam planè contrariam, eorum nempe, quibus κτίσις hîc significat *Gentes nondum conversas, sed demum convertendas:* Et hi loco illo Marc. XVI. 33. longè speciosiùs nituntur: observant ita de Gentilibus loqui Rabbinos; Ajunt insuper, ἀπεκδοχὴν *expectationem* illis dudum à prophetis tributam, vocari Christum *desiderium gentium*, proferunt testimonia cordatorum Gentilium querelis de rerum suarum statu corruptissimo referta, gemitibus & ὠδῖναις similima. Possunt hæc fusè splendidéque tractata videri apud Hammondum, *Ligtfotum*, & nuperrimè *Nyloeum*.

Nobis, cùm ista legeramus, propemodum incidit illud Ausonianum de *Exuperio* Professore Burdigalensi.

Copia cui fandi longè pulcherrima, quam si
Auditu tenus acciperes deflata placeret,
Discussam scires solidi nihil edere sensus.

Quid enim? an Apostolus de conversione Gentilium locutus sit, ut de re *longinqua, futura, & cujus nil gestum adhuc sit* ἄχρι τῦ νῦν *usque ad hoc tempus?* An non potiùs jam miris undiquaque progressibus ferbuit? An etiam illi, qui nondum conversi erant, vel nondum nati, poterant vocari πᾶσα κτίσις, *omnis creatura?* An excludendi fuêre *Judæi*, qui tamen Marc. XVI. necessariò includuntur, ut supra monuimus, quò *soli* aliqui Gentiles cluerent πᾶσα κτίσις,

Respondetur negando.

omnis creatura? Et quomodo occæcati adhuc Gentiles expectâsse dicantur *retectionem filiorum Dei*, quos nullius coloris vel noverant, vel nosse voluerant? Quomodo dicantur *inviti* subiisse vanitatem & corruptionem, aut quis id conciliet cum iis quæ idem Paulus habet Rom. I, Eph. IV. 18.19? Atque esto *Porphyrium* (qui gravis est author, & idoneus huc testis, si Diis placet:) aliósque Gentilium emunctiores scriptores, quos certè numero non exiguo commodare hujus sententiæ Patronis ipsimet possemus, *Ovidium*, *Virgilium*, *Plautum*, *Juvenalem*, *Persium*, *Senecam*, *Arbitrum* &c. Esto, inquam, hi deploraverint, ut certè fecerunt, suorum temporum miserias, suntne autem hi πᾶσα κτίσις? Poterántne de illis dicere Romani fideles: οἴδαμεν, *scimus*? Poterátne (ut & hoc animi gratiâ quæram) Romanis fidelibus notus esse blasphemus ille *Porphyrius*, ducentis circiter annis iis posterior?

Jam quid illud esse dicam, quòd hi viri vers. 23. per eos, qui primitias Spiritus acceperunt, Judæos intelligere coguntur? Potuitne Apostolus Romanis suis fidelibus, majorem partem ex Gentilismo conversis scribens concinnè dicere: *Nos quoque ipsi cum gemitu adoptionem expectamus*, si jam omnino Judæorum hæ sunt partes?

Quæ sanè omnia talia sunt, ut penè certos nos reddant, Apostolum ad vocationem gentilium hîc nequaquam respexisse. Respondet pauca & ad pauca *Nyloëus*, sed quibus, nî fallor, jam occursum est.

Quòd

Quòd verò Gentibus apud Prophetas *expectatio* tribuitur Christi, & Christus *desiderium* vocatur *Gentium*, id verò & pernego quadrare posse in Gentiles adhuc vanitati suæ & φθορᾷ immersos, *in tenebris*, SINE SPE, *& sine Deo* (ut S. Scriptura loquitur) ætatem agentes. Aut quæ fuisset ignoti cupido? Sed omnino referendum judico ad jam ἅπαξ φωτισθέντας, καὶ γευσαμένους τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπουρανίου, ad eos, qui jam Christum per præconium Evangelii *degustârunt*, & in quibus adeóque jam sonuit primus ictus à malleo Dei novam creaturam molientis, & quasi initium ab excitando flagrantissimo desiderio facientis, ut docent exempla *Cornelii*, *Eunuchi*, *Lydiæ* &c. Salvâ Orthodoxiâ rem aliter concipere non possumus: Atque tanta est veritatis vis, ut famosus ille *Joh. Clericus*, qui pro genio suarum hypothesium primus avidissimè amplecti debuerat *suspiria & nixus ante conversionem*, non tantùm hanc sententiam configat, sed & planè contrariam, *de gentilibus* videlicet *jam conversis* animo conceperit.

Antequam hinc abeam, non possum non mirificam *Cl. Ligtfoti* conjecturam excutere. Is quando considerat (Op. Tom. II. p. 876.) *Vanitatem, cui κλῆσις subjecta est, nec tamen volens*, surgit ad Ethnicismi, quæ vocat, initia, nempe confusionem linguarum, ob inceptam illam struicem Babylonicam. Observat (nec falsò) hujus structuræ scopum primarium fuisse, ut *Idololatriæ* quædam arx foret; refértque ex Targum Hierosol. & Jonatha festivam fabel- Ligtfoti conjectura.

lam, destinatum fuisse in summitate turris delubrum, & supra illud Idolum cum gladio in manu, velut ad defensionem superstitionis: Sed de hoc quicquid sit, videri ad historiam sequuti illius judicii divini, confusionis nempe lingg. optimè referri posse verba Apostoli, inprimis de subjectione *involuntaria*.

Expensa. Nemo neget ingeniosam esse hanc observationem; Illud etiam ἀκούσιον, *involuntarium*, hîc certè locum habuit, si uspiam. Possumus nobis fingere Babylonicos illos fabros & cœmentarios mirificè inter sese indignantes & ringentes, & variis sonis dejerantes, quando de alliis interroganti, de cæpis alter respondit, aut oenophorum petenti, trullam vel asciam, vel terebram porrexit &c.

Verùm, præterquam, quòd ea, quæ supra diximus, hypothesin istam sufficienter evertunt, perquàm incautum, & à veritate alienum est, Idololatriæ, vanitatis, φθορᾶς, atque adeò secessionis à vera Ecclesia originem repetere demum à turri Babyloniça: Annon enim (ut antediluviana taceam) jam duobus ante Seculis Chamus, & ipse forsan Japhetus illum secessum instituerant? Et in hunc quidem posteriorem, non sine colore trahi possent Apostoli verba: ἐπ' ἐλπίδι, *sub spe, vel facta spe*, si conferamus quod habetur Gen. I X. 27. quæ in hac confusionis historia locum reperiunt adeò nullum.

An intelligendæ animæ defunctorum? 3. Sunt, qui per κήρυξιν intelligi velint *animas* fidelium defunctorum, unionem postliminiò

niò cum corporibus suis expectantes, & ea de causâ non minùs *gemebundas*, quàm illas sub altari. Apoc VI 9.10. Haud pauci authores, qui Angelis (ut videbimus) alioqui hunc præstant honorem, illas cointelligunt, peculiariter verò huc eunt *Aretius*, & Clariss. *Ittigio* teste, *Raupius*.

Et profectò, si cætera prædicata conveniant, non caret suis ista sententia lenociniis. Convenit *Spes*, vel *expectatio revelationis gloriosæ*, & *liberandi* jucundi olim contubernalis, σώματος, *corporis*. Blanditur aptum discrimen, inter ejusmodi animas, & *nos*, qui *primitias Spiritus* nacti, hoc est, nondum in omni nostri parte *consummati* sumus.

A observavi, *Pontificios* quosdam Theologos, licèt non lubenter alioqui huc eant, meditatos tamen, annon hîc ingerere possint *animulas* illas *blandulas*, *vagulas*, *rigidulas*, *nudulas*, quæ olim in *Limbo*, quem vocant, *Patrum*, & purgatorio per aranearum casses undique obhæsisse finguntur. Quid enim quæso, illæ facerent, quàm *gemerent*, parturirent, atque rimas, per quas avolarent, circumspicerent?

Omnes profectò liberi lubentius
Sumus, quàm servimus

Inquit ille apud *Plautum*, *Capteivei*. 1.2:10. Hæc autem *limbestria* somnia justo, ut opinor, titulo, missa facere possumus. Satis dicit Locus Hebr.I I. 10.

Non posse interim hîc locum habere animas defunctorum, ut condolere Authoribus, ita sine Negatur itidem.

circuitione fateri cogor. Nempe & hîc obstat morosa illa remeligo, vox κλίσις, *creatura*, quam hoc sensu authoribus Sacris frequentatam proh dolor! nusquam reperire est.

Et præterea animas corpore solutas, beatas, *à labore exaussicatas*, τελειωμένας, *consummatas* (Apoc. XIV. 13. Hebr. XII. 23.) perdurum est subjicere τῇ ματαιότητι, *vanitati*, & τῇ δουλείᾳ τῆς φθορᾶς, *servituti corruptionis* facere *Pothopatridalgia* laborantes, gementes, *pipientes* (Esaj. VIII. 9.) & cum

— *Philomela nefas inceſti Thereos* —

flentes. De *manibus* & umbris suis luridis multa talia fabulantur Gentiles, & horum simiæ Pontificii, quorum si sententia valet, omnium etiam Heroum

Vita cum gemitu fugit indignata sub umbras.

Sed S. Scriptura, ut dixi, *abstergit lacrumas, amovet cordolia, exesse jubet inquietudines omnes.* Luc. XVI 25. Apoc. VII. &c.

Nam quod *animas illas sub altari* Apoc. VI. 10. 11. attinet, non gemunt, neque dolent, minimè omnium autem *excorporationis* sunt pertæsæ, sed vindictam divinam urgent contra mitratos illos carnifices festinandam; dantur eis *stolæ albæ* i. e. innocentia earum liquida evadit per varias *pacificationes* hostibus extortas.

Tandem & in eo hæc peccat hypothesis, quòd sumit nondum datum, nempe liberationem creaturæ coincidere cum glorificatione. Cæterùm non potest compendiosiùs refelli hæc

hæc sententia, quàm si eam committamus cum alia directè contraria, quæ animas corpori adhuc, velut ergastulo inclusas, & quasi *illos Æoli ventos in cava rupe stridentes frementésque* intelligunt, quam sententiam *Origeni* tribuit *Bucerus* Enarr. pag. 387. Et revera huc faceret Locus Rom. VII. 24. aliique similes. Verùm jam plusçula memoravimus incommoda, quæ & heic valde in mora sunt.

An angeli intelligendi?

7. Itur jam ad *Angelos*, qui haud paucis in mentem venere, quasi videlicet in eos quadraret caliginosa illa κτίσις Paulina; Sed cùm in duas classes hodie distributa sit ista angelorum natio, bonos nempe & malos, lubet à posterioribus auspicari. Malos itaque Angelos hîc intelligi, *Origenistarum* tum olim, tum *hodienum* velut aliquando non obscurè colloquens cum illis deprehendi; est sententia. *Origenistis* sese junxerunt, aut fortè præluxerunt *Priscillianistæ*. Ipse *Origines*, qui magnopere illam *de diabolis olim salvandis* sententiam tutatus est, non tamen legitur eò hunc locum torsisse, & nonnihil vapulavit viris Eruditis Clariss. Jac. *Altingius*, qui id *Originem* fecisse assa voce asseruit. Angelos bonos, velut proconsules variorum in tellure territoriorum admodùm negotiosos, item cælum, luminariáque &c. potiùs memorâsse deprehenditur. Qua de re suo tempore. Modò diximus, quòd & aliis bonus iste Pater cogitationibus sese fatigaverit.

v. gr. mali?

Cæterùm non admodùm probo Theologos quosdam nostros, istam *de diabolis salvan-*

dis, & ad id forsan *suspirantibus* sententiam adeò neglectim ferè tractare, quasi refutatione nihil opus sit.

Origenistarum sententia configenda, & confixa.

Ego quidem fateor, esse eam sexcentis modis absurdam, & textum inprimis nostrum nullis eò torqueri posse fidiculis, si quis rationi bellum non indixerit.

Tamen, cùm hodie furiosè, utcunque furtim, serpat, sub nomine *Catholicismi amoris divini*, videbantur nil præter rem facturi cùm Theologi, tum Philosophi quidam, inprimis *Augustani*, in alia non admodùm necessaria tam proni, si quæpiam horum *Origenistarum* castella adorirentur, & everterent. Ediderunt hi initio hujus seculi, in *Pamphilia*, quam vocant, grandem librum, sub titulo μυστήριον ἀποκαταστάσεως πάντων, qui expressè huc aurigatur, & longè pluribus, quàm credamus, in oculis atque sinu est: congerunt S. Scripturæ, non omissâ hac Paulinâ, Patrum, variæ partis Theologorum innumera penè testimonia, rationes inprimis, non artificiosas minùs, quàm spissas, quæ omnia, qui librum ipsum non habet, satis diligenter excepta, & in nucem quasi compacta, videre potest in *epitomarum* illarum menstruarum fabro solertissimo, Hannoveriensi: 1701. April. aut in illo prodromo, qui sub *Evangelii æterni* nomine prodiit A. 1698. Confutâsse quædam dicitur *Cel. Ittigius*, sed mihi videre non contigit.

Magna, verbi gratiâ, cum specie, intorquent, eos, qui penitùs perpetua Diabolorum,

&

&damnatorum supplicia,& cum suppliciis peccata statuant, incautè & inscie prolabi in *Manicheismum*, duóque agnoscere principia, bonum alterum, alterum malum : Quæ certè petulans est, sed admodum speciosa objectio. Nos illi satisfacere conati sumus in tractatu ad Eph. C. IV. & V.

Lubet auten mihi ipsa hac occasione optare, non desit aliquis vir judiciosus, qui nobis semel clarè evolvat, *quid sit æternitas*, cùm illa à parte antè, tum ila à parte pòst (quam *ævum* nuncupare solemus) cum felix, tum misera? Scimus definitionen Boethianam, scimus & alias, legimus adeóque & inquisivimus multa, sed quæ nobis conceptum pepererunt istius negotii magis *certum*, quam *clarum*, quòd sine dubio sentiunt & illi omnes, qui res non ex formula, sed judicio, non ii superficie, sed per interiora metiri volunt.

Non existimo necessum, ut illam de Diabolis & damnatis hîc intelligendis sententiam operosè confutem, forsan vix ulla in textu vox est, quæ ponderata non reclamet, veluti jam non semel vidimus ; Solemus autem miseri homunciones, viâ planè præposterâ, primùm formare nobis quædam in cerebello placita, dein demum circumspicere, an non eò ex sacris aliquid flectere queamus, quod negotium nonnihil Poëtarum sapit ingenium, etsi aliâs procul habitum ;

Poëta, tabulas cùm cepit sibi,
Quærit id quod nusquam est, reperit tamen.
Plaut.

Qui variare volet rem, prodigiliater, unam,
Delphinum silvis appingit, fluctibus aprum.
Hor.

Atque idem jungat vulpes, & mulgeat hircos, Virg. Nempe ex tartareis illis hircis *emulgent* Origenistæ nostri ἀποκαραδοκίαν, *spem liberationis fidelium*, quos tam avidè vexant, & impetunt, *gemitus honestissimos*, quos φρικίας, *horribiles fremitus* appellare maluit Apost *Jacobus*. & similia. Quid magis Poëticum?

An bonis angelis Paulina nostra tribui possint?

ה. *Angeli boni* longè plurimis veterum recentiorúmque in mentem venerunt, tum separatim, tum verò cum universo isto Systemate Mundi, quod pòst contemplabimur. Jam dixi de *Origene*, quòd ejus aliquando fluctuationes huc inclinaverint. *Theodoretus* expressè memorat ἀγγέλους, ἀρχαγγέλους, δυνάμεις, ἐξουσίας, κυριότητας. pag. 695. Et suo tempore multos huc ivisse refert *Augustinus*: Plures Patrum enumerat Cl. *Ittigius*. Quibus fortè omnibus facem prætulit *Scholiastes Syrus*. *Petrus* quoque *Martyr* noster (de quo hac occasione, certis de causis, placet interserere judicium *Josephi Scaligeri* à Tanaq; Fabro relatum, *Scalig. p. 73.* Petrus Martyr *feliciter initiatus*, *bien fondè in Philosophia, Historia, Linguis, excellens Theologus, styli puri, ac quàm Theologum deceat, melioris.*) Iste, inquam, *Petrus* eódem κτίσιν Paulinam referre gestit. Comm. in h. l.

Coccejus, magnum inter interpretes Sacros, & forsan immortale nomen, quoque suffragio suo juvat *Angelos*, quamvis etiam *tellurem* faciat so-

ſociam, quò melius habeat πᾶσαν κτίσιν *creaturam omnem*. Poſſemus longè plures adducere, præſertim eorum, qui iſto modo *Angelos* partem ſaltem triſtis chori fecerunt, ſed non prodiimus ad ſubſtruendum *mechanicum* ejusmodi *apparatum*; Et ſuo tempore rurſus de his dicendi aliqua naſcetur occaſio.

Hæc ſententia de *Angelis & Archangelis* non omnino caret ſpecie. Aptiſſimè videntur apponi fidelibus *domiportis*, ſeu in corpore viventibus. Scitum eſt, eſſe illos πνεύματα λειτουργικὰ, nec verò diſſimile, laſſeſcere ſubinde, & nauſeare ad occupationum molem, totiésque eundam redeundámque viam, inprimis verò, qui illorum *Orbibus Ptolemaicis* gyrandis, aut ſaltem provinciis Regnísque in hac tellure moderandis ſunt præfecti, fortè ſubinde *de finibus ambigendi* nanciſcuntur occaſiones. Et verò calculũ ineunt quidam, quia Luc. XV. *gaudere* dicantur angeli, *ſi quis peccator ſeſe converterit*, neceſſum eſſe, ut ob tot alios impænitentes perpetuò *gemant*, cæpásque mordeant, quam ſuam tædioſam conditionem, dubium non eſſe, quin in melius mutari totis quinquatribus optent. Ejusmodi cogitationes multis impensè placent, ac ſeriò ego dubito, an mihi fas ſit contra mutire, utpote qui toties olim ex *Agendis noſtris Eccleſiaſticis* popello hæc prælegi verba: Sende deinen H. Engel/und ſetze ihn zum Regenten diſes Jahrs/daß er einen Einfluß habe zu guter Witterung/zu fruchtbaren Zeiten/zu geſunden Lüfften/zu allem Segen!

Diſquiritur.

Ve-

Veruntamen, quia eo instituto huc prodii, ut liberè animi & conscientiæ meæ sensum expromam, asserere non verecundor, nullam mihi sententiam visam, quæ ritè perspecta minus habeat verisimilitudinis. Quo enim exemplo Paulus Angelos atque Archangelos vocaverit κτίσιν, *creaturam*, aut quâ necessitate abstinuerit à nota voce *Angelorum*? Et quî in mentem venire potuit eos obeundis illis ministeriis defatigari velut *caballos in clivo*, gemere velut bajulos sub sarcina? Vid. Psal. CIII. 20. Sed fac ita esse: quæ tum illorum ὑπομονὴ seu spes? Num in gelu aliquod vel *gelatinam* ut abeant, actuosissimi hi spiritus? Hoc scilicet curant; Credo ego *falcones* in aucupio usitatos cogitasse hos viros, cùm *Angelos* debuissent. Jam illud de *gaudio Angelorum* Luc. XV. utique clarissimè contra facit, si rectè ponderemus. Nec enim *gaudere* est *gemere*, neque illi *vanitati* & *corruptioni* sunt addicendi, quibus volupe est alios inde assertos videre. Ac lubet mihi hîc quærere: annon, si ita hæ res percogitentur, major sit Angelorum molestia, si multi & gregatim convertantur, glorificentúrque, quàm verò si pauci, aut nulli? quo casu insinuatis starent boni angeli manibus, labore omni ad *diabolos* redituro. Sed verò nimis clarum est, *gaudere* Angelos *labore*, (si labor est dicendus) istisque obsequiis magnam partem esse beatos. Cùm toties legamus Angelos *cunarum custodes, in bellis defensores, Regum satellites, apparitores, interpretes, viarum duces, Musicos, chirurgos, pharmacopœos, medicos*, &c.

Quis unquam legit Angelum *suspirantem, singultientem*, corruptionis servitute tabescentem? Sed quid multis? Paulum cum Christo committunt, qui in hâc Angelorum *promotione* sudant. Dixerat citatus ab illis Christus, *Angelos gaudere de peccatore converso.* Inde citant Paulum, & eum faciunt dicere *Angelos in ipsissimo hoc ministerio mœstos, invitos, querulos esse*: Quæ evidentior contradictio? Et an nesciunt λειτουργεῖν ministerium esse *honorificum*, quale sanè nemo nostrum est, quin navibus petat atque quadrigis.

Liceat mihi, *Auditores*, hîc nonnihil memorare uliginosum illum fontem, unde tot nobis in rebus Sacris pullulant conceptus valde inaccurati, nonnunquam & absurdissimi. Is est noster ille sensus, quem *Plasticam*, sive *Phantasiam* nuncupant, cui plerunque, etiam nescii, aut inviti, hæremus. Quantum is orthodoxiæ infuderit chaos, satis supérque Pontificia loquitur superstitio, verùm ne nos quidem *indonati* abivimus. Sic scimus quidem, aut nos scire profitemur, Angelos esse πνεύματα, *Spiritus, mentes*, substantias intelligentes, omnísque extensionis expertes. At ecce, cùm conceptus aliquis est formandus, formosa non parumper tantùm moratur imago, quæ speciem præsentat humanam, imberbem, λεπτοχίτωνα, *fluxis linteis vestitam*, alis pennigeris instructam, sub quibus *sudor*, & forsan *hircus* facilè nasci possit. Si qui sunt ad *abstractivitatem* (ut sic loquar) aptiores, ii saltem cogitabunt has sex figu- Παρέκβασις.

figuras A. N. G. E. L. U. S. aut, ut optimè succedat, turbinem aliquem, aut venti particulam, aut, ut Poëtæ loquuntur, *cæruleum imbrem* &c. Ita hæremus in figuris illis, quas Angelos assumsisse S. Scriptura memorat, aut potiùs iis, quas *Glyptæ* illis commodare voluerunt, aliisque æquè huc facientibus, ut ad veram essentiam parum attendamus, quò magis deinde ejusmodi opiniones blandiri possunt, de Angelorum, velut *Atlantis*, lassitudine, inquietudine, anhelisque pro meliori conditione, aut, ut loquimur, *ex Turgoia* in patriam promotione, suspiriis. Verùm utinam in hac solummodò materia sic cæspitaremus, atque in aliis exularent crassæ quædam cogitationes, lepidam non rarò concionibus & panegyricis quibusdam, (dico *quibusdam*) subministrantes ἐπεισόδια! Possem plusscula afferre specimina, ægréque adeò abstineo: sed digito compesco labellum, illud saltem ingemiscens, ut magis ac magis discamus, doceamúsque *spiritualia spiritualiter judicare*, & *fermentum* Antichristianum, cujus passim totæ quasi tunicæ obhærescunt, penitùs, etsi cum quodam *temporali incommodo, expurgare*, atque everrere.

7. Possemus varias adhuc proferre sententias, quæ intra paucos substitêre suffragatores, aut forsan nullos sunt nacti. Verùm omittimus, non, quòd ideò duntaxat minoris faciendas existimemus, sed quòd properandum videatur ad illam, quæ omnium est celeberrima, & tantopere pervagata.

IN-

INTROITUS PRÆL. III.

Magnifice, &c.

CONtemplati nuper sumus diversas diversorum de *Creatura* Pauli *gemente* sententias, una cum commodis suis, atque etiam incommodis, &c. Non eo scopo, ut cornicum configeremus oculos, aut *Magistris nostris, consiliariisque* videremur sapientiores, quemadmodum nostra quosdam interpretari variè subodorari potuimus. Absit, & æternùm absit, ut hoc contagio quisquam unquam nos infecerit, aut inficiat, quô certè laborantium ipsimet vicem ex animo dolemus. Cujus rei, tum alia specimina nostra, tum ipsam exercitationis præsentis catastrophen fidem cordatis facturam confido.

Veruntamen, Thema nostrum problematicum, feriati & gladiatorii hi dies, & ipsa quoque vestra expectatio postulare videbantur, ut potestas nobis esset, hîc paulò liberiùs versandi, & quasi in orchestra quadam variarum rationum conflictum repræsentandi, qui simul ad veritatis indaginem haud mediocre, ut confido, præstet adjumentum. Atque eo studio jam quoque, vestrâ benevolentiâ freti, in proscenio comparemus, unumquemque vestrum rogantes (ut olim *Plinius* in Epist. amicum) *ut quod de libello meo dicturi estis aliis, dicatis etiam mihi.*

PRÆ-

PRÆLECTIO III.

De iis, qui per κτίσιν intelligunt totum Mundi systema.

1. IGitur plurimi veterum, plurimíque recentiorum pro certo habent, agere hîc Apostolum *de universo Mundo, universa orbis machina*, ut *Buceri* utar verbis, in h. l. *Augustinus* fluctuanti, quàm contradicenti similior *Lib. 83. quæst.* refert *plerosque sui ævi homines incidisse in in has* MOLESTIAS, ut hujus dicti vi non jam solùm solem, lunam, sydera, sed *Angelos, sublimésque virtutes in dolore & gemitu posuerint. Cælum & terram* hîc complectuntur *Hieron.* in cap. 65. Esa. *Chrysostomus* & *Ambros.* in h. l. *Irenæus* Lib. V. adverſ. Hæreſes cap. ult. Ad quem *Fevardentius* commentator insuper subjungit *Primasium, Rupertum, Didymum, Oecumenium* &c. Qui omnes Paulino isto loco simul usi sunt ad refellendam opinionem de annihilatione Mundi.

Huc eunt sequiorum seculorum scriptores penè omnes, *Pontificii* penè omnes, *Reformati* quamplurimi, inter quos honoris causâ nomino φωσφόρους nuper Tigurinos, *Heideggerum* & *Suicerum*: alacriter ferè consonant *celeberrimi* quique *Homiliastæ* (utor voce, quâ olim *Thuanus Gualterum* noſtrum insignivit:) *Altingii, Streſones, van Peene &c.* Nempe patentem hîc sensus præbet campum, jam olim *Chrysostomo* obequitatum, variis magnalibus oratoriis. Nec aliò abit amphibion illud *Erasmus.* Et quis omnes quæso, enumeret? *Lutherani* quoque, quan-

quanquam ob hypotheſin ſuam de *annihilatione*, lubenter hunc locum effugerent (Vid. *Maſſon.* in Anatom.) ſuos tamen dedere ſuffragatores, inprimis *Lutherum* ipſum, nil diſſimulante *Ittigio*.

Atque adeò ſi quid valet numerus, confecta res eſt, *Tellus* cum incolis ſuis omnibus, arboribus, animantibus, piſcibus, *cælum*, cum Syderibus omnibus citimis & extimis, verbo, quicquid *creatum* dici poteſt (ut ſanè debent omnia, præter *Fabrum*, Triunum illum Deum) cadit ſub notionem κλισεως Paulinæ, vanitati, & corruptioni mancipatæ, ſed dolentis & flentis ideò, uti ille *Phaltiel*, uxoris amittendæ pediſſequus 2. Sam. III. 16. poſt flebile tamen principium meliori fortuna beandæ.

In hac ſententia, *Auditores omnium ordinum Honoratiſſimi*, cum adeò vaſta, & latiſſimis, imò penè nullis ſit explicata pomæriis, ſine dubio noſtram propediem reperiemus. Quid enim in hoc ambitu, velut in illo *Petri linteo*, deeſſe nobis poſſet? Judicium de iſta ſententia.

Et revera huic ſententiæ multa apprimè favent. Κτισις, πασα κλισις, vix poterat magis propriè explicari. Argumentum Pauli futurum erat valde evidens, hoc nempe, ſi *Dialectica* noſtra *Arachne* operam adjutabilem dare velit, proceſſu:

„*Quod* univerſa creatura, cælum nempe, Ar-
„changeli, Lucida lyræ, oculus tauri, Si-
„rius, auriga, & reliquæ ſtellæ fixæ; Sol,
„luna, tellus, animantia, arbores, cum

„gemitu, simul & cum certitudine post
„servitutem vanitatis & corruptionis
„expectant: id multò magis debent pro
„certò expectare fideles Romani:
„*Atqui* illa omnia dicto modo expectant *li-*
„*beracionem*, subsequam liberationi fide-
„lium conditioni gloriosæ fidelium.
Ergò. — — — — — —

Addam & aliam Syllogismi formam, fabro *Theophylacto*: in h. l.

Εἰ ἡ κλισις στενάζει, πολλῶ μᾶλλον ὀφείλεις καὶ αὐτὸς τοῦτο: *Si creatura gemiscit, multò magis & tu debes*; — *Atqui*. — *Ergò*. —

Quòd si forsan Logicum artificium rem non perficiat, ecce suppetias venit *Rhetorica*. *Chrysostomus* enim, ejúsque perpetua Simia, *Theophylactus* ille, quem dixi, hospites, & longo syrmate cæteri omnes, deprehendunt in hac Pauli Oratione προσωποποιΐαν, longam quidem, sed tamen convenientissimam. Nempe ut hoc Universitatis Systema eo modo dicatur expectare & suspirare, quò in Sacris alibi *flumina plaudere manibus*, & *saltare montes*. *Theophyl.* Istiusmodi prosopopœarum plura exempla placuit congerere *Ittigio*, nos quoque in prælectione I. ex authoribus sacris & profanis quædam alia obiter adduximus. Veruntamen est ὑποκαταδοκία eriam propriè dictæ vicinum, quòd observantibus quibusdam, *arbores* v. g. ramos, & ex ramis semina ita industriè protendant, spargántque, sine dubio generis sui interitum aversantes rebúsque se servaturæ secundis.

Ipse

Ipse quoque *gemitus* exprimi videtur in alto æquè ac profundo, quoties incubuêre venti: Ne dicam de sono illo, quem lubricatæ inter sese Mundi sphæræ elidunt, certè *gemebundum*, si quid concipio, proclivius autem judicare foret, si non ita assuescendo obsurduîssemus, velut accolæ Cataduparum *Nili*.

Jam, quod *vanitati, & corruptioni* subjectam creaturam dicit Apostolus, id verò videtur toti hujus mundi Systemati à Polo arctico, ad antarcticum, non uno, sed mille modis congruere. (Nisi quod Angelos quidem, atque Archangelos supra absolvimus, si potuimus.) De *Telluris* nostræ, & rerum ad eam spectantium *phtisibus, quartanis, aliisque cachexiis* consultò nil affero, quia suspicor futurum his rebus locum in nostræ sententiæ explicatione. *Syderum* quorundam observantur deliquia, interitus æquè ac natales, *Cometarum*, hoc est, tristium & informium quorundam in alto incendiorum, generationes. Dolent quidam solis syderúmque vicem, quæ tantæ peccatorum colluviei lucem suam commodare cogantur, & rursus observant alii, fortiter illa sese ulcisci *malignis influentiis & aspectubus*, quos vocant. Congeruntur, quæ de *cælis veterascentibus*, syderibúsque per divina in homines judicia, variam molestiam passis, passim S. Scriptura inspergit. Quæ cuncta illustrari solent oppositâ primæva illa ante lapsum conditione, quando videlicet in incunabulis illa suis jubebantur cluere *valde bona*. Fusius hæc traloqui possem, si stylo indulgere

Rationes quibus illa firmari solet.

vellem; Sed opinor, satis hinc clarere, quanta verosimilitudine *totum Mundi systema* in hunc censum venerit.

Si jam quærat aliquis, quænam portendatur Universo huic liberatio, à tot, quæ gemitum exprimant, cachexiis, in promptu est responsio, eaque duplex *Alii* enim pertendunt, in nihilum omnia redactum iri, cælum videlicet, sydera, solem, terram, cum tota suppellectili sua. Id fore *libertatem*, aut saltem *liberationem* ab omnibus malis. Et si quis fortè horreat ejusmodi *liberationem*, mittunt eum in *Senecæ* Ludum, qui passim, inprimis in *Epistolis ad Lucilium*, inculcaverit, homines post mortem id ipsum futuros, quod ante conceptionem, nimirum NIHIL, & tamen hunc fore optabilem commendabilémque statum, qui sive *liberationis*, sive *libertatis* titulum abundè tueri queat. Falsum quidem fuisse *Senecam* in illo dogmate, quantum ad homines, sed tamen conceptum subministrasse libertatis Mundi, etsi nullius. Non refragatur *Cl. Momma*.

Alii autem, &, ut diximus, longè plures, *instaurationem*, *sive renovationem universi hujus Universi* malunt, quin etiam dispexerunt, annon & *bestiæ* & *arbores* & similia terrestria per παλιγγενεσίαν quandam simul postliminiò quasi restituenda sint, existimántque tuendæ huic opinioni inprimis subvenire locum istum Paulinum. Potest videri Cel. noster *Heideggerus*, laudabili illo opere Theol. Tom. II. pag. 754. Et de *bestiis* superstitibus *Puccius* contra Socinum.

num p 38. quem, & *Streſonem*, citat Cl. *Ittigius*, admodùm ſalsè exprobrans, *quaſi, ſcilicet, qui hic catellos, aliáque hujusmodi animalia in deliciis habent, eorundem aſpectu etiam in æterna vita ſint oblectandi.* Theſ. 18. Ittigius notatus.

Ubi ἐν παραδόσῳ patet, quantillæ res quantos Theologos ſubinde vexare poſſint. Nemo adhuc poſuit *oblectamenta cum catellis*, & quid ſi poſuiſſet, an ideò cruce ſe ſignare Cl. Vir debuerat? An nefas olim fuiſſet *Evæ* in ſtatu integritatis catellum in ulnis geſtare? Annon illa familiaritas cum beſtiis erat particula quædam beatitudinis? An gravitatē Theologi non ſatis olent Hieroglyphica illa de *Agno & animalibus aliis in cælo*; & Servator noſter in Evangelio, poſteáque etiam in Scyphis Euchariſticis *Tertulliani* tempore depictus ut *Paſtor Ovem humeris reportans*? An quodquam eſſe poſſit Operum Jehovæ in ſtatu reſtituto (ſupponendo & ipſa avitæ ſuæ bonitati reſtituta) in quo non gloriari conveniat? Ego certè inter haud poſtrema illud ſperaverim, futuros nos minùs moroſos atque *Majeſtuoſos* tum ratione beſtiarum, ſi quæ forent, tum ratione hominum.

Bucerus, quem tanti pernuper fecit *Lud. Fabricius*, hæc ipſa agens, in hæc ipſa agentem incidit *Thomam Aquinatem*, qui renovationem creaturæ pro certâ habet; animantia tamen, plantas, & mineralia excipit, quaſi nulli uſui futura. Non probat, imò confutat Bucerus. Videant, qui volunt, prolixam & judicioſam ejus diſceptationem. *Enarrat. in Rom pag. 386. &* Buceri ſententia.

multis seq. Liceat mihi, cæteris missis, exscripsisse & heic recitare soliloquium illud piámve precationem, quam suis verbis optimus & judiciosissimus iste Vir præit homini fideli, hæc nostra percogitanti: Sic autem ea habet:

„ Tota creatura congemiscit, & parturit „ adhuc expectans & expetens meam restitu- „ tionem: Nam corruptioni propter meum „ peccatum invita subjecta est. Hæc tota libe- „ rabitur per Christum meum à servitute cor- „ ruptionis, cùm ille nos, sua membra restitue- „ rit. Isthuc cogitabo & perpendam, ut in me „ & rebus omnibus atrocitatem peccati, quod „ in me habitat, ritè agnoscam, indéque Chri- „ sto, Domino, & Servatori meo totum me ad- „ dicam, consecrem, permittam, quacunque is „ cruce peccatum in me conficere, & quacun- „ que via ac vocatione me ad vitæ novitatem „ adducere velit, ad quod ei toto pectore inser- „ viam mortificando studia carnis meæ, & „ enitendo ad studia Spiritus, ad vitam Dei. „ Utque huic vitæ alacriter insistam, & in eo „ conatu & studio infractus pergam, defigam „ mentem meam, quoad ejus ipse mihi Domi- „ nus dederit, in considerationem hujus tantæ „ felicitatis meæ, ad quam in resurrectione re- „ stituar, quam nimirum exornatura etiam est, „ liberata à corruptione fabrica Mundi univer- „ sa. Ista cogitabo, in ista animum meum de- „ mergam, securus de eo, quasnam mundi par- „ tes mecum Christus Dominus restituturus „ sit, aut quo modo, aut quam illis daturus con-

„ ditio-

„ditionem? Satis ſupérque mihi eſt, me & „mecum totam creaturam habituros felicius, „quàm mens mea nunc queat cogitatione „conſequi. Hinc prædicabo, & glorificabo „Dominum meum, eóque ipſo donante ſtu„debo toto corde, tota anima, totis viribus „cantans illi; Et bene fecit, & benefaciet „omnia, ipſi æterna gloria in ſecula, Amen!

Hæc *Bucerus*, piè, modeſtè, cordatè, ſolidè, ſi quiſquam quidquam; cum quo etiam finem facio tædioſi dudum negotii, nempe citandorum Authorum, in quo ſibi quisque faciliùs placet, quàm aliis; etſi ſupereſſent innumeri, *vel loquacem laſſaturi Fabium.*

Ea, quæ hactenus attulimus, ſatis probant, quàm plauſibilis ſit illa de univerſo Mundi Syſtemate ſententia. Patet tamen & tergiverſationibus locus:

Primò, vox κλίσεως, aut etiam πάσης κλίσεως non videtur tam lato ambitu poſſe ſumi, utpote cùm ſe, & fideles alios hinc manifeſtò ſegreget Paulus, non certè ignarus, & ſe & illos eſſe *creaturas*, haud *Deos*. Eph. II. 10. Act. XIV. 15. Dato igitur, Paulum reliquósque aut Apoſtolos, aut fideles hinc exeſſe poſſe, poterunt & alia, ſi evidens ſuaſerit ratio. Rationes, cur illa hypotheſis, de toto Univerſo, ſtare vix poſſit.

Secundò hæc ſententia ſupponit, quod eſt in quæſtione, nempe Paulum unicè reſpicere ad noviſſimas illas rerum revolutiones in judicio vivorum & mortuorum. De qua re ſuo loco aliquid dicetur.

Tertiò Apoſtolus loquitur de re, quam

scierant Romani fideles; οἴδαμεν. At *stellarum* ἀποκαραδοκίας, *expectantias*, *gemitus*, *singultus*, & silice in nuda *connixiones* neque ex sacris, neque ex profanis monumentis, neque oculis, neque auribus didicisse poterant. Nihil tale uspiam occurrit.

Excepti-unculæ occurritur.

Dicat fortè quispiam (ätque adeò dixit his diebus) illam vocem οἴδαμεν, *scimus*, etsi pluraliter positam, intelligendam de *solo Paulo*, qui dixerit Scimus, pro, SCIO, more quodam suo.

Respondeo; Id hîc locum habere non posse. Versatur enim Apostolus in perpetua demonstratione, quasi mathematica, & ex iis, quæ ipse solus sciisset, argumentari, & ad alienam conscientiam quidquam demonstrare nequiviset. Careret hoc pacto pondere tota hæc narratio. Præterea toto hoc capite, ante & post, fidelium Romanorum loquitur nomine, usque ad versum 38. Ubi quasi ex conventis & confessis conclusionem præit: Πέπεισμαι γὰρ &c. *Firmiter itaque concludo*, quod ipsum etiam, licèt in singulari numero, Romanorum dicit nomine. Et quid multis? Quæ concinnitas fuisset, eum tam copiosè adduxisse & ursisse expectationem, & miseriam creaturæ, quasi rem notam, & tandem dicere: *Ego scio, non vos?*

Verùm hæc omnia tanti non facerem, nisi esset aliud quidpiam, quod me, si fateri licet, reddit ab hac quoque sententia sic concepta planè alienum. Possum cum *Augustino* jure MOLESTIAM vocare, & *molestiam* esse sine dubio

dubio æquus quisque vel auditor vel lector fassurus est:

Nempe specimen, inter multa alia, est, quò prodigiorum evadat subinde Theologia, quoties *Astronomiam*, *similésque nobilissimas notitias* susque deque habuit. Quicunque enim solem, sydera omnia, cælum extimum (si quod est extimum) peccati, in hac tellure nostra (alibi enim vulgò non patiuntur *incolas*, nedum *peccatores*) exorti, labe, & consequa inde vanitate & corruptionis mancipatu perspersa, inde singultibus, & uteri doloribus oppleta sibi finxerunt; eos necesse est hanc potentissimi creatoris fabricam considerasse valde *populariter*, velut *abacum* & *pulpitum* suum in quo scripserunt, obtectum *laqueari* non admodùm alto, lucernæque fumis facilè sordidando.

Disquiritur an per sanam rationem toti universo corruptio, quam Paulus memorat, tribui possit?

Veruntamen longè aliter res sese habet. Tellus hæc nostra, quam incolimus, & *in regna superba secamus*, *peccati domicilium*, *vanitatis & corruptionis matrix* atque scaturigo: Hæc, inquam, Tellus nostra, una cum suis maribus, proportionem habet ad *Solem*, qualem semen *papaveris*, aut ut ultra modum dapsilis sim, *cannabis*, ad *pomum aurantium*. Sol ipse ad vastum hoc universum comparatus revera nihil aliud est, quàm *cisindela* in amplissimo prato, atque à longè plurimis stellis fixis magnitudine superatur.

Terræ globi proportio ad Universum.

Cum illis, qui fortè suspicantur, non ita rem sese habere, calculúmque hunc nimis esse liberalem, nolo multis agere, neque illos mit-

tere ad variarum gentium, religionum, & ætatum Astronomos, in hac re, quantum huc facit, penitùs concordes, & *parallaxium* mox majorum, mox minorum, mox penitùs nullarum ope id evidentissimè ostendentes. Neque etiam eos vocabo ad experimenta, quæ oculo inermi sumi à quovis possunt, qui quidem luscioſus non sit. Hoc saltem illos timere veto, *ne forsitan Opus nimis vastum Omnipotenti nostro Deo ascribamus*, & credere volo, quod toties Sacra pagina inculcat, *incommensurabiles esse cælos*, firmamentúmque istud, quod videlicet videmus, non esse totum Opus manuum ipsius, sed illud *annunciare*, hoc est, esse specimen saltem oculis nostris propositum, Psal. XIX. 1. Maléque sentire de *bonitate Dei*, eos, qui illam *cælorum altitudini* comparatam ibi terminant, ubi debilis noster oculus desinit. Ac revera suspicor, imò pertendo, nullatenus nos certos esse, an fortè *millesimam partem* divini hujus operis oculis assequamur nostris, aut mente concipiamus, pro eo saltem, ac illa nobis in *Scholis* imbuta, & instituta est.

Jam igitur si ista omnia cadunt sub notionem κτίσεως, *creaturæ*, quam Apostolus heîc memorat, tum verò sequetur res conceptu inexplicabiliter mirabilis, & præ qua crepundia mera sint, quicquid unquam visum est miraculorum. Nempe ob *Adami*, veluti apud Poëtam

Unius ob furias, & noxam Ajacis Oilei,

Ob *Adami*, inquam, peccatum ex hoc nostro orbe,

orbe, pulviſculo tenuiſſimo, labem, peſtem, vanitatem, corruptionem, indéque *ſingultus* & *tormina* diſpertita eſſe quaquaverſum in immenſas plagas, quaſi, ſi quis diceret *à grano papaveris, in verruculis aliquibus ſuis venenato*, exhalâſſe virus toti *Hiſpaniæ* regno fatale, atque letiferum. Hoc qui mente concipere poteſt, eum valde artificioſum pronuncio, nec tamen invideo. Ego me concipere poſſe & nunc & in æternum nego.

Quæ verò afferuntur tanquam ſpecimina vanitatis & *tabis* illius *ſydereæ*, ea facilè eſt expedire. *Parva quidem necat morſu ſpatioſum vipera taurum*, ſed eſt tamen adhuc nonnulla proportio, & concipere poſſumus vias quasdam naturales; Heic verò iſta omnia abſunt penitùs. At inquiunt, facit hæc ſententia ad *ad exaggerandam peccati atrocitatem*. Scio, & audivi toties hoc pathos, verùm nos non jam in optimos *exaggerandi fundos*, ſed in *Veritatem* inquirimus. Occurritur inſtantiis.

Sydera nova emicuiſſe, aut interiiſſe forſan falſum eſt, certè Pauli & Romanorum tempore inauditum. At verò tum hæc res debuerat conſtare, non hodie tantùm. Præterea, ut demus tale quid poſſe contingere, vortices à vorticibus abſorberi, eorúmque centra vel naſci, vel diſſipari (ut volunt Carteſiani quidam) pro eo videlicet, ac glorioſo Opifici ſuis de cauſis lubuerit, an id propterea creaturam, eámque omnem conjicit in vanitatem, ſervitutem corruptionis, gemitus & faſtidia? Quid tale aut De ſyderum ortu & interitu.

quo-

quomodo sciunt de 1022. stellis fixis, quas tales videmus, quales ante viginti secula visæ sunt?

De Cometis.

Cometarum generatio nihilo plus negotii facessit. Ostendatur enim nobis, si potest, quid Cometæ in alto æthere (de quo jam inprimis agimus) corruperint? imò etiam quid in citerioribus planetis? An, si Deus promendis, & rursum recondendis ejusmodi vastis lampadibus ostendit adhuc vigere creatricem illam & omnipotentem suam dextram, nos statim *vanitatem, corruptionem, tabes, & gemendi causas* in alto illo Theatro, quò nec unquam cometæ assurgunt, concipere par est? Non putem.

De Eclipsibus.

Eclipses Sol nullas patitur, sed nos patimur, qui non sumus tam lyncei, ut interposita vel ordinariè, & naturaliter, vel extraordinariè obstacula oculorum nostrorum acie perfringere & permeare possimus. Et quid sunt aliud hæ, quas vocamus *Eclipses ordinariæ*, quàm longè venustissimum in hoc naturæ choro spectaculum, index accuratissimi ordinis, quem Deus in suo hoc opere perennare vult? Conferatur huc illustris ille locus Jerem. XXXIII. 19. Et quid nos hîc tricari opus est? Respondent sibi ipsis hi *Astroscopi*, cùm (ut mox videbimus) autumant, *infelicem eo nomine esse Solem, quòd tot sceleratos peccatores contueri, & colluστrare cogitur*: Ergo; inquam, perfelix est, potiùs quam infelix, quoties interveniens quidpiam ipsi hunc *oculorum dolorem* intercipit, & avertit.

De Maculis Solaribus.

Perparum etiam huc facerent *Maculæ*, quæ in sole observantur. Quis enim jussit nos *Macu-*

las

las & fumos appellare corpora illa, quæ solis globum motu, ut observatum est, satis ordinato, circumvolitant, & vicissitatim vel nigricant, vel eximiè candent? Fac tamen esse *fumos*. Num verò id ignis naturam magnopere afflictat, ejicere subinde *fumos*, & rursus depasci? Num certus quisquam est, ante peccatum ἄκαπνον fuisse Solem? Nempe quare non etiam *terra?* Gen. II. 6. Num etiam, quicquid hujus est, nomine fidelium Romanorum agnoscendum Paulo fuit, tot seculis ante, quam *Heliosscopia* detexissent?

De fastidio Syderum.

Illud jam de *fastidio Solis* reliquorúmque syderum, quod concipiant ob contuendos, & irradiandos tot scelerosos, & tot scelera, non videtur magis facere ad rem. Quotuma enim, quæso, pars radiorum è vastis illis lampadibus huc abit, in hunc tanti theatri tantillum pulviscul um? Hínene illæ *lacrymæ*? Illacrumatus olim dicitur *Xerxes* contemplatus exercitum suum millies mille hominum, eò quòd intra seculum omnes essent in portam rigidos porrecturi calces. Num quæso etiam lacrymatus esset cogitans, unum alterúmve ex illis *ignavum* esse aut *scabiosum*?

Et hîc jubeo Sacros interpretes meminisse *similitudinis* suæ, quam adeò crebrò usurpant, cùm de providentia Dei circa mala sermo exoritur, videlicet ita eam heic versari, ut Sol soleat loca inquinata collustrans, nec inde quicquam labis, aut molestiæ contrahens! Certè vel ante lapsum talia multa Soli expósita fuissent,

sent. Conferatur hîc quod est Matth. V. 45.

De tristibus influentiis, & aspectubus.

Nunc quòd *tristes influentias, & malignos astrorum causantur aspectus*, id primò non ad ipsorum syderum tabem, corruptionem, & gemitus pertinet, sed ad *hominum*. Neque enim quisquam existimaverit, illa sese, ut *basiliscos, videndo perimere*. Quare si quid hujus est, non per id corruptioni subjiciuntur, sed *alios subjiciunt*, nec concipi potest *gemere*, cùm Deo vindici

——— *Militat æther*:

Verùm dudum est cùm sanior Philosophia & Theologia has influentias penitùs à præsepibus arcet, veluti rem è Gentilismi, & barbari Scholasticorum ævi lacunis haustam. Inquiet aliquis: Annon jamjam vivimus dies, quos *Canicula* imperio premit, influxu fovet? R. Ridiculum fore, qui sic existimet, Sol dierum est Rex & temperator: *Caniculares* autem hi dies vocantur, quia secundùm ordinem motuum sive solis, sive terræ, *Canicula* per omnes hos dies cum Sole oritur, & occidit, adeóque ejus radiis absorpta inconspicua evadit, quod *occasum* vocant *Heliacum*, ita ut Canicula nunquam quidem quicquam in nos operetur, nunquam tamen minus, quàm his ipsis diebus.

De locis S. Script.

Supersunt loca S. Scripturæ, quæ huc magna cum pompa congeruntur, de *cælis* nempe *arescentibus, veterascentibus, in æs triplex abeuntibus*, cum *fragore dissolvendis*, syderibus *caducis, aut casuris, offuscandis*, & olim *septuplo fulgore arsuris, &c.* in quibus omnibus expendendis

nolo

nolo esse fusior. Notentur solummodo sequentia.

a. Valde errare illos, qui, quoties *cælorum* fit mentio, supremas illas ætheris plagas intelligunt, cùm toties nihil aliud significent, quàm *atmosphæram* telluri circumfusam, unde pluviæ, tempestates, & in qua ludunt *aves*, cuíque nos *servitutem corruptionis*, ut suspicor, neutiquam denegabimus. Et quid aliud est Matt. XVI. ἐρεμνὸς συγνάζων, *cælum mœstum, & quasi gemens.* Nonne hæc *atmosphæra?*

b. Subinde per *cælum* intelligi *magnificentias illas Judæorum Hierarchicas*, quibus sub hoc Hieroglyphico præsagitur interitus. Subinde etiam *Eccl. Milit.* N. T.

c. *Sydera*, quæ subinde interveniunt, quoque non posse proprio sumi sensu, sed omnino *metaphorico*, imò *ironico* sæpe. Quis enim v. g. concipiat sydera, tantas illas moles sensu proprio *casura in terram, pulviculum* istum, & quibus scopis existimabit converrenda? Subinde etiam metaphoræ illæ Sacræ neutiquam desumtæ sunt à veris syderibus, sed *ab ignibus fatuis, meteoris aërivagis, & stelliformibus*, ut Jud. vers. 13.

d. Et hæc quidem pleraque ponit Spir. S. non *ut præsentem aut antiquam labem, tabémque* hujus Universi, verùm ut judicia Dei post Pauli & nostrorum Romanorum tempora obventura, de quibus adeóque neutiquam Romanorum nomine potuisset loqui Paulus, velut locutus est.

Quot

Ea esse in contrarium longè efficaciora.

Quot jam è contra paginæ implendæ venirent, si vellemus illa excerpere S. Scripturæ dicta, quibus summus ille æther & astra tanquam *perennitatis, puritatis, in qua soli cedant DEO, nitoris, pulchritudinis, magnificentiæ, & perfectionis specimina æque ac Hieroglyphica* aspectari jubentur? Quid ita toties hac fabrica *gloriatur* Deus, si *caries* ab imo ad summum illam exedit? Cur ita providè cavit, ne Babylonicæ turris apex in altum nimis se surrigeret, si jam antè fædiorem longè trabem in summa quæque eniti, & latè omnia polluere passus est? Et quæ sexcenta talia quæri possent.

De annihilatione mundi.

Illis verò quid facias, qui liberationem creaturæ ad libertatem gloriosam filiorum Dei, de cælo & astris intelligunt, & *annihilationem* interpretantur? Hoc scilicet argumento pulchrè Paulus fideles suæ adoptionis, & glorificationis certos reddere poterat? Ita enim scil. ratiocinari solet. vid 1. Cor. XV. 19. Hoc est illud, quod Hieropsaltes tam graphicè de Sole verbi gr. *Prodit ut sponsus è thalamo, & gestit ut Heros decurrere munus suum.* Psal. XIX. id est, *suspirat extingui, & in fumos abire!* Et hoc sit *parturire, fructum* hoc est *perennitatem, & liberationem in libertate gloriosam expectare.* Quantum, quæso, est quod nescieramus! At *Seneca* pervidit, *sic stare liberationem.* Mirificè! quasi non iste ipse *Seneca* hanc liberationem *protèlaverit* & *evitaverit* omnibus, etiam abjectissimis artibus, quantus poterat. Certè *uxoris suæ* arcanam hanc philosophiam instillare non potuit,

De Seneca.

quæ

quæ edocta, Neronem illius simul mortem non admodum quæsiviſſe, extrahi ſe è cruento balneo, obligari rorantes venas, & vivere, quàm cum damnato mori *Hero* maluit. Qualis, ſine dubio, ſpes & *ipſum* excitâſſet. Plura de hac re afferre ſuperſedeo, videnda, ſi cui lubet, in noſtrorum locis communibus.

Sententiam illam de *inſtauratione & reparatione, aut etiam repurgatione univerſi*, ſyderei etiam cæli, ut conſultiorem lubentiſſimè admitto, id ſolùm, ſi licet, cavens, ne velimus citra neceſſitatem hîc nobis fingere *Sudatorium* etiam pro celſiſſimis illis cæli partibus, quaſi à peccati quadam lue impetiginéque abſterſurum, & recocturum. Satis enim ex antè dictis liquere confido, nulla id neceſſitate ſupponi. Reperimus olim *maledixiſſe Deum telluri* ob peccatum hominis, cælo illi remotiſſimo, h. e. ſyderibus maledixiſſe, nuſpiam reperimus. Qua de re mentem noſtram uberius ☿. ☉. aperiemus lectione ſecutura.

Sententia de renovatione mundi expenditur.

INTROITUS PRÆL. IV.

Magnifice, &c.

SEntentiam eorum, qui per *creaturam Paulinam* totius Universi Machinam intelligunt, nuper expendimus, pro ea ac analogia fidei & sana ratio poscere videbatur. Et *hæc* quidem posterior in rebus ejusmodi problematicis, senatu moveri non potest, nisi in quantum certò deprehenditur Sacræ Scripturæ contradicere, vel tantillum. Tunc sanè sit & vocetur *Christianorum Diabolus* Nos interim cur eorum, quæ diximus, & ad hunc lapidem minimè offendere existimamus, nondum admodùm piget. Quòd si quis vestrum A. O. O. H. foret, qui ædificationis causâ comiter sive jam dictis, sive jamjam dicendis aliquid obmoliri vellet, poterit is agere cum *Magnif. D Scholarcha* nostro, cujus nutu paratus sum etiam minimo vestrûm, vel sine auditorio, satisfacere, nempe vel difficultates diluendo, vel ingenuè manus dando.

Sed frustraneum egi invitatorem.

Pergimus interim Ξ. Θ. secundante vestra benevolentia, ad *Catastrophen*.

PRÆ-

PRÆLECTIO IV.

Tres esse vias rei expediendæ.

Triplex videtur esse via, quâ nos ex labyrintho nostro expedire queamus; Aut, ut ingenuè fateamur ignorantiam: Aut, ut novum reperiamus filum Ariadnæum, novúmque iter: Aut ut ex prolatis nuper sententiis, aliquam seligamus, quæ minoribus, & sanabilioribus laboret incommodis.

Est autem prima illa Socratica via valdè obsoleta, *sentâ situ*, in qua anteambulonem, emissitiis licet oculis, haud facilè detegas. Suspicor etiam vos, *Auditores*, haud magnopere fore contentos, si eâ elabi & me subducere vellem.

Secundum iter invidiosum est, & lubricum, nec etiam facilè reperiundum, utpote post tot *indagatores*, qui nullum non revolverunt lapidem.

Tertium πολιτικώτατον, à quo non multùm aberrabimus, gradum tamen ita structuri, uti eis, qui ex ipsis sacris Oraculis, potius quàm è glossematis discere vellent, convenire videbitur.

Auctoris sententia.

Intelligimus itaque per κλῖσιν Paulinâ τὴν οἰκουμένην, *telluris nostræ globum*, quatenus nos suos utcunque alit colonos, non exclusis illis integumentis, *nubibus*, & quoquò illius sese extendit *vortex*, quem appellant, *Kepplero* primùm, deinde *Carteſio* magistris: simul autem intelligimus τροχὸν τῆς γενέσεως, *istam nationis humanæ rotam*

uti venustè Apostolus *Jacobus* vocat, cap. III. 6. quatenus ab Ecclesia, meliora sperante, licet mixtim & ipsos fideles complectens, distinguitur.

Memorat Cl. *Ittigius Zinkium* quendam, Pastorem *Ramstædtensem*, quem puto eundem esse cum eo, qui μυσηρίῳ ἀποκαταστάσεως πάντων sub prænomine *Samuelis* citatur, qui hanc opinionem peculiari tractatu foverit, statueritque, olim, ante lapsum, hunc habitationis nostræ globum cæli æquè ac terræ nomen gessisse textúmque imprimis nostrum urserit. Non contigit mihi illum videre, videre tamen, etiamsi sic satis superintendentali Majestate ab *Ittigio* tractatus sit, si quis A. H. copiam facere possit vellétque, volupe foret.

A qua ne ipsi quidem dissentientes abhudunt.

Quicquid autem de eo sit, illi certè, qui per *creaturam Paulinam totum universi systema* intelligunt, inprimis hunc telluris & atmosphæræ circumfusæ orbem examini subjiciunt, penè *in uno hoc morantur Volsente*, aut quia persuasi sunt, tellurem nostram esse totius universi grandem medullam, nihilque præterea præter cortices & quasi cæparum tunicas, Romanorum more *laticlavias*, in censum venire posse: Aut quia altiores φθορὰς *corruptiones*, & *gemitus* in physicis suis non facilè reperire potuere. Nihil ergò magnopere novamus, si in *sola tellure* ejúsque *vortice* Paulini mysterii vestigia ruspamur.

Ejus congruentia demonstrata.

Creatura, atque adeò & *omnis creatura* vox aptissimam huc notionem habere videtur. Mon-

Monstrarat sic Romanis fidelibus Paulus quod facilè & cottidie videre potuerunt. Viderant autem terram, maria, animantia, homines, arbores, segetes, ope Solis: Solem ipsum non viderant, nisi pòst cæcutituri lusciosíque futuri. Nullus, aut certè valde infrequens erat *telescopiorum* usus. Nulla vis coëgerat noctes vigilare serenas & stellas contueri, ac si id, posthabita *dormiendi permissione*, voluissent Romani fideles, nihil tamen erat opis, quò satellites Jovis, satellites Saturni, annulum hujusdem, quæ tantæ sunt moles, & tanta, si qua foret, in alto illo *corruptionis* pars, perspicere potuissent. Liquere igitur existimo, intellexisse Paulum per *creaturam*, etiamsi *omnem*, illud quod velut ante pedes Romanorum quisque, quantumvis semper diurnus, perspicere poterat.

Occupatio.

Creata sanè nemo nescit inficiatúrque, & *sydera* & superiora illis, quæ putant, laquearia, ex quibus profectò *cordata* aliqua *Physica* nil scit facere aliud, quàm *visûs nostri terminationem, & absorptionem*: Nemo, inquam, rationis compos, hæc creata neget, sed in talia extima Paulum jam fideles suos ducere voluisse, nemo etiam rationis compos affirmet. Nota est vocis κλάσεως *synecdochica indoles* Marc. XVI. 15.

Qui historiam legit creationis divinitùs à Mose consignatam, & humani generis historiæ consultò præmissam, is statim deprehendit, sic quidem Mosen *Universi* incunabula tradere, ut tamen domicilii nostri, *telluris* & quæ eam circumdant præcipuam & peculiarem habeat ra-

rationem, prout certè institutum etiam popoſcerat, & ſapientiſſimorum quorumque, qui *gentium* ſcribunt *hiſtorias*, perpetuus mos eſt.

Poſt Moſen in Veteri Novóque Teſtamento Spiritus S. quaſi συγκαταβαίνων, pro *univerſo*, in quo videlicet negotioſa noſtra ratio ſeſe exercere poſſit, toties nobis proponit *cælum*, nempe in quo nubes & aves, *terram, maria, abyſſos, fontes, montes*, Pſ CXXXV.6. Apoc.XIV. 7. & toties alibi, quæ expreſſiones ſatis oſtendunt, commodiſſimè Paulum hæc eadem πᾶσαν κτίσιν appellare potuiſſe.

Obſervatio de diviſione univerſi in cælum & terram.

Obiter hîc dicam, quando in ſacris totum iſtud immenſum penè *univerſum cælorum ac terræ* nomine venit, non hîc Spiritum Sanctum loqui more *Peripateticorum*, aut quaſi ad eos, qui horum imbuti placitis ſemper expectant diviſionem *Totius in partes*, ut loquuntur, *integrales, eſſentiales proportionatas*, &c velut *truncum corporis humani* dividimus in *tres ventriculos*, & *Americam* in Septentrionalem, & Auſtralem; Abſit iſtiusmodi μεθοδείας *artiſticas* de ſapientiſſimo illo Doctore concipiamus!

Nempe ea eſt hujus diſtributionis *in cælos, ac terram* indoles, quæ eſt Deut.XXVIII. *in caniſtrum tuum & reliqua tua*, aut quæ Socraticæ, in ea, *quæ ſciat, & ea, quæ neſciat*: Aut quæ *Livianæ*, in ea, quæ *domi foriſve* geruntur. Aut cujusdam Chorographi Athenienſis, iniquiſſimè, & ſtultiſſimè ſanè irriſi, *in agrum Atticum, & reliquam terram*. Nempe quid cordatius

tius esse posset, quid ad rectè discendum, docendúmque accommodatius, quàm opponere, aut, si quis mavult, juxta ponere minutias immensitatibus, nihilum suum τῷ ὅλῳ, TOTI? Distributio ergò est, *ad hominem*, ut loquuntur, & si in aliis orbibus forent homines, ex converso idem illic stylus foret.

Quin ipsa vox שמים eam habet formam atque emphasin, ut eam conceptus noster exhaurire nunquam possit. Dicit enim innumerabilia IBI vel UBI, in quibus *metas rerum*, præter conditorem DEUM, nemo persentiat.

Verùm his, aliâs fortè commemorandis, missis, veniamus ad prædicata Apostoli, & quo pacto ea sententiæ nostræ conveniant, visamus. Contemplabimur autem habitabilem istum terraqueum globum, partim politicè, partim physicè: Utranque hanc considerationem hûc facere persuasi. Quæ de κτίσει Apostolus prædicat, telluri optimè convenire.

Agnoscit in eo Paulus *vanitatem, & servitutem corruptionis*: Sine dubio primulùm respiciens ad illud *Solomonis*, quod de rebus, studiis, negotiolis, machinatiunculis, fortunulis, *speribus* & *speculis* הבל הבלים הכל pronunciavit: *vanitas vanitatum & omnia vanitas*, quod variè imitati Poëtæ, v. g. ille: Primùm sensu ponelitico.

— *O quantum est in rebus inane!*

Hominum omnium, nisi illorum, qui in grandibus divitiis, & potenti fastigio constituti sunt, imò forsan horum inprimis, longè miserrima, & alternatim Democrito Heraclitóque histrione dignissima est conditio. Nec fideles

hinc excipiuntur, qui potiùs, *si in hac tantùm vita in Servatorem suum sperant, sunt inter miseros miserrimi* 1. Cor. XV.

Primâ prælectione innuimus, qua politica rerum facies scribente Paulo, imperante Claudio & Nerone fuerit; Reperimus in *Apologetico Tertulliani*: Gentiles non sinè specie quiritatos, *omnia pejus se habere post Christianos exortos*, sed hæc pluribus jam exponere animus non est:

Perlege Suetonium cætera nosse volens,

eò nos remittit *Ausonius*, potuisset etiam ad *Tacitum, Plutarchum, Juvenalem, Arbitrum, Senecas*, cæterósque Historiæ Romanæ scriptores aut deploratores, quorum utilissimam lectionem non horrore illarum, quas recensent, *vanitatum*, & *corruptionum* vulgò intermittimus, quippe quarum varia imitatione & similitudine sumus exornati, ut dicemus, sed gravi graphicóque quodam metu, ne latinè discamus, ne *Bonaventurali* stylo, cui, felici admodùm successu, & bonitate, *Majoribus* nostris inusitatâ, regnum permittere placuit, moram obicémve facessamus.

Corruptio humana his temporibus eadem, quæ tempore Pauli.

Nimirum non jam coætaneorum tantùm suorum, sed & nostro nomine Paulus dicere potuit οἴδαμεν, *scimus*, creaturam vanitati, servituti, & epidemicæ cuidam corruptioni subjectam & suo jure esse gemebundam, &c.

Nil attinet dicere, quàm miserè & futiliter ætatem agant *Indi, Thraces, Hottentottæ, Hyperborei, Papistæ, &c.* Nostram (qui λαὸς περιποίησιος, *selecta pubes audire volumus*) solummodò tabem,

tabem, labémque, tribus duntaxad verbis, etsi huc deberetur

Scriptus & in tergo, necdum finitus Oreſtes,

nec unquam finiendus, deguſtemus! quot, obſecro, nos jam in propatulo agitant peſtes? quot intemperiæ, adeò futiles, & abſurdæ, ut eis immerſiſſimi quique non poſſint tamen non eaſdem verbis & *Chreſtologiis* ſuis magnopere deteſtari, éſtque hoc adeò inprimis feſtivum, *omnes execrari aliquid, & tamen omnes agere.* Quanta, Optime Deus, eſt *Mammonæ iniquitatis* ſervitus, & artificiolorum, quibus colitur negotioſitas! Quanta *ambitionis*; quæ artes, quæ larvæ, qui ſancti prætextus, quæ Sycophantiæ, quæ curſuræ, quæ alludiationes & baſiationes &c. intermittuntur, ut nobis noſtrísque mendicemus honores, aliis præripiamus? Quanta omnium Ordinum inter ſeſe *æmulatio*, quâm barbarus contemtus, & viciſſim ferox contumacia? Quæ *calumniandi rabies*, & quæ longè pejor eſt, *calumniarum avidè admittendarum facilitas?* Quæ *injuſtitia* in foro, quæ domi *libidines*, quæ in provinciis *exactiones*, quæ in Sacris mendaciſſimæ *hiſtrioniæ*, quæ in comitiis tribunitiis προσωπολη̃ψίαι, quæ ubique *nundinationes*, proditiones, oppreſſiones, perfidiæ & perjuria? Subinde quaſi cogimur recordari verborum Job. IX. 24. *Terra traditur in manum improbi, ſive improborum, qui faciem judicum ejus obtegunt.* Conf. Zeph. III. 3. 4. Recenſetur & deploratur.

Verbo, quid tandem eſt *veteris hominis deceptricibus cupiditatibus corrupti*, quod non propa-

Jam,& ex parte sub titulo *Solertiæ* ubique grassetur? Quis *carnis fructus* (quorum *vademecum quasi* botanicum Gal. V. sistit Apostolus) quin,bonis frugibus penissimè suffocatis, uberrimè succrescat

— *Et quantum vertice in auras*
Ætherias,tantùm radice in tartara tendat?

Ne facimus quidem secundùm jura gentium, quæ circa nos sunt. Ezech. V.7. *Imò easdem facimus sanctas præ nobis* Cap XVI.51. Quod olim Romæ *Quintilianus*, id jam, mutato quasi scenæ loco, nos affirmare possumus: *Sanctiùs ultrà Alpes vivi.* Quo magis mirificum mihi visum est,fuisse nuper,qui de Italia convertenda cogitâssent (miros homines, sed mihi notos) quasi nulla hîc esset *Rhodus*, in qua saltarent.

Huic me cothurno immorari nec decet, nec juvat. Id solùm observari velim,non posse ab his luibus vitam humanam non esse miseram & deplorabilem, sive eos aspicias, qui hæc *patiuntur*,sive eos,qui *faciunt*; qui plerunque sunt iidem *Corydones*. Ac de facientibus (qui forsan aliquo splendore, & successu rerum suarum grandem mentiuntur felicitatem) id profectò nemini dubium esse debet, qui cogitaverit, tot cuique esse *Heros & dominos,quot pravos habet affectus*, quos alio thure placare,aut nidore alere non possit, quàm perpetuis pavoribus, inquietudinibus, fatigationibus, longè miserior illis,quos miseros reddit, juxta illud: *Victi dolebunt,flebit victor.*

Tanquam facientibus æquè ac patientibus luctifica.

Et huc facit illa *bellandi*, velut pro dote homi-

hominibus data, rabies, quæque inprimis Christiani orbis historiam ita fædat, ut nulli gentilium, aut brutorum (si qui *horum* essent) anales non sint ab istis labibus mundiores. Quid enim nostris & plerisque aliis diebus aliud est pulchrum istud Christiani Orbis Sacrarium, quàm Palæstra illa *Joabi & Abneri*, ubi *quisque apprehenso capite proximi sui, gladium suum* (carneum, aut ferreum) *immergit lateri ejus*, quidque æquius, quàm ut deinceps non Galliam, non Germaniam, non Scandinaviam &c. amplius nuncupemus, sed ubivis *Chelcat Hassurim*. 2. Sam. II, 16. Sed ita res nostras fore, & ita, cum incremento perennaturas, satis prædixit Christus,

Potuit igitur jure optimo de οἰκουμένῃ nostra politicè considerata dixisse Paulus, quæ dixit. Visamus eandem *physicè*.

Magnam, sine dubio, partem clavis loci hujus nostri Paulini est, locus ille Gen. III. 17. *Maledicta erit terra propter te — Spinam, & tribulum germinabit tibi.* In quo illustri loco manifestè habemus τὸν διατάξαντα, quem Paulus noster memorat: Geminum videlicet: α. *Deum judicem.* β. *Adamum*, peccati repertorem, & nationis peccatricis Demagogum, principemque, ut causam meritoriam. Conferatur quod est Cap. IV. 12. ubi Deus Caino: *Quando*, inquit, *coles terram, non addet, ut det fructum suum tibi.* Commentarium autem in hæc omnia videre est satis prolixum Deut. XXVIII. versib. quinquaginta tribus postremis. Consimilia

Quomodo physica telluris contemplatio huc faciat?

similia passim occurrunt per Prophetarum conciones, quæ longo & fastuoso syrmate citare nihil attinet. Forsan etiam pluscula sensu proprio neutiquam intelligenda forent.

Acrasiæ elementorum.

Videmus itaque in *atmosphæra* telluri nostræ circumfusa, grandes, & multiplices *acrasias*, quas Creatorem nisi in pœnas temporarias constituisse, suo tempore benignâ in sedem revocandas vice, vix est verosimile. Illa turbulenta & tristis sæpe congeries vaporum, eorundem repentina *incendia*, elisa, & obviis quibusve lethifera *fulmina*, *grandines*, *pruinæ*, *nimbi* effusiores, & quasi *catarrhactæ cæli laxatæ*, *hyemes immodicæ*, *Boreæ*, *presteres*, *turbines pestiferæ aëris*, forsan in volaticos vermiculos abeuntis, *putredines*, aliáque, quæ certè nonnisi ad impedienda & destruenda naturæ studia & molimina facere videntur. Hæc, inquam, omnia, utut Majestatis divinæ magnificentissima specimina, videntur isto pacto constituta, nonnihil consistere intra scopum primarium sapientissimi Conditoris atque adeò pro perenni parte ordinis rerum minime agnoscenda.

Globi terraquei variæ vexationes.

Jam ipse *telluris globus*, quem undique habitamus, non potest, ne si velit quidem, quin vanitatis, servitutis, corruptionis aut tabis elaboratissimum hactenus clueat spectaculum. Rixantur inter sese *animantia*, & sibi mutuò pro pabulo inserviunt, *plantæ* vix decimam aut millesimam seminum, quæ elaborarunt, partem educant. *Senium* quoddam & anilis quasi sterilitas passim observatur: æstuat in terræ

ca-

cavernis *ignis*, atque adeò multiplicibus jamdudum expirat caminis, *Italiæ*, ut confido, & *Romæ* primitias ruinarum daturus, ambedunt littora & crepidines *fluctus marini*, vel eóusque, ut nuper Viri docti existimaverint, non hinc ineptum argumentum duci posse contra *Spinosistas*, aliósque æternitatis Mundi assertores. Nec possum hîc non meminisse atrocis illius frigoris, quod anno superiori tot animantia, tot arbores, tot frutices, præsertim uviferos (quod sine dubio inprimis dolendum est) penitùs extinxit. (Anno 1708. & 1709.)

Præterea, quantam, obsecro, vanitatem & servitutem φθορᾶς, corruptionis, telluri inferimus nostramet ipsorum *ambitione, & avaritia?* Inprimis ab ipsis incolis.

— *Itum est in viscera terræ.* &c.

Cùm sine dubio sponte natis nos alere & posset, & vellet, maluimus sulcis eam proscindere, domefacere aratris: oneravimus & fædavimus eam ædificiorum molibus, quæ non tam nobis, quàm crepundiis, & ridiculæ suppellectili nostræ asservandæ serviunt, excitamus, planè contra telluris ingenium aggeres & valles eisdem oppugnandis incidimus fossas, adultas arbores cæduas existimamus, & in laquearia inutiliter absumimus, flumina crepidinibus pro lubitu cohercemus, vel in alios ducimus alveos & sexcenta ejusmodi, ut sanè nesciam, an tellus, si speculum introspicere posset, tellurem sese agnosceret, ac non potiùs carnificinam suorum animalium bipedum implumium, quæ alere cogitur. In-

Inter paucos forsitan sit *Ludovicus Magnus* Galliarum hodie Rex, qui telluris globum alicubi emendatum iverit. Inscribi is jussit portam palatii *Versalienſis* hoc disticho:

Hîc erat ante chaos; dixit Ludovicus, & ecce
Regia fit divo: facta est sic machina mundi!

Omnia in tellure mortibus plena.

Addo tandem in hoc orbe nostro, secus quam in ulterioribus illis plagis, quòd sciamus, omnia esse *mortibus* plena, quasi in aliquo *Acherontis ostio*, ut cum Comico loquar. Nihil hîc vivax est, præter *malos mores* & odium Theologicum. Moriuntur animantia (videlicet post curriculum indies brevius) moriuntur arbores.

Mors etiam saxis marmoribúsque venit,

Moriuntur Regna, Monarchiæ, concidunt montes, siccantur lacus, hauriuntur campi, arva quondam fertilissima in uligines abeunt & arenas. Ita de Judæa jam *Strabo* testatus est, *esse saxosam, & salebrosam*, quæ olim lacte fluxit & melle. Non dissentiunt hodierni αὐτόπται. Vid. *Tolland.* Orig. Jud. p. 139. tale quid de *Hispania, Sicilia, Hungaria* aliisque regionibus dici potest, quæ sensim non sunt nisi cadavera veteris fertilitatis; porrò emoriuntur & ipsæ nostræ *vanissima structura*, in ruinas abeunt urbes,

— *Ipsæ etiam non rarò periere ruinâ:*
Nunc seges est, ubi Troia fuit. —

Quo exemplo non injuriâ lepidus ille Poëta Gallus, *Scarron*, sese consolatus est, cùm vidisset *subuculam* suam, post biennii usum, circa cubitos pertusam lacerámque.

Qua-

Quærat jam aliquis, quomodo creaturæ isti, quam hactenus adumbravimus, tribui possit τὸ ἀνάσχιον, *voluntatis repugnantia, expectatio attenta, gemitus, & nixus*, quasi *parturientis, ad liberationem?* Quomodo huc conveniat τὸ ἀνάσχιον.

Respondeo. Posse ista omnia rectissimè illi tribui, variâ commoditate, sive *politicè* rem consideres, sive *physicè*.

Vanitas & corruptio moralis equidem morbus est, quem sibi homo ipse repperit, & quotidie adhuc reperire gaudet. Verùm cum semel cæpit, *quasi lippo oculo abstinere manum nequit*, miratur ipse servitutem suam, sentit intus διαλογισμὸς *accusantes & excusantes*; *videt meliora probátque, deteriora sequitur*: necessitate quadam malus est, & divinitus eò *traditus* Rom. I. 24. pro *jugo* & *sarcina* (2. Cor. VII. 14. Heb. XII 1.) ipsi sunt ipsa sua scelera, dum ea *molitur*, dum *patrat*, inprimis dum *luit*: neque enim tantùm consideramus hominem, ut mala facientem, sed & vicissim ut patientem, pro eo ac Deus usitatè noxiis per noxios, quasi perpetuo aliquo *oscillationis ludo*, pœnas infligit. Verbi gr. hominibus improbis?

Jam in hoc rerum statu non desunt, ne pessimis quidem, dolores, anxietates, tædia, indignationes, gemitus, fremitus, nisus si non ad sanctiorem, certè ad feliciorem vivendi sortem: Intervenit expectatio & desiderium, quò autem tendat, ipsi nesciunt; (dudum jam à *Solomone* & *Seneca* observatum est, *stultos optando consenescere*:) Inter hæc enim nascuntur vaga quædam, sed blanda somnia de *aureo seculo, de con-*

conversione anni Platonici, de Cucagnia, Peredia, Perbibesia, Conterebromia, &c. Romani, qui paulò ante seculum Pauli libertatem & rempublicam penitùs amiserant, corruptissimorum Principum facta serva pecora poterant non solùm cum *Cic.* suo exclamare : *ô tempora* &c. sed & salivantibus similes subinde optare, somniare, sibi blandè promittere, nescii quam, restitutionem in pristinam libertatem, affluentiam, *jura tribunitia*, *rogationes Sextianas* & similia. Exemplum illustre sistunt Eclogæ Virgilii. Dici hîc etiam aliquid posset de *Judæorum* deliris somniis &c. Quòd si verò ipsi vanitatis & corruptionis servuli haud conscii sint, ad quem eventum vaga ista, quam sibi impressam vident, *expectatio* tendat, (nugas enim illas sibi fingunt potiùs, quàm seriò credunt) scit illud, qui impressit, DEUS, & per *Paulum* nobis revelat, cujus verborum structura memorabilis est, & ad cogîtationem nostram planè contendit, dicit enim : ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ ἀπεκδέχεται : q. d. *desiderium illud, circumspectatio illa & expectatio, quam insculptam creaturæ videmus, ipsâ licet non admodùm gnarâ, tendit ad statum aliquem magnificum & felicem filiorum Dei, quo & ipsa parasitando utcunque fruatur.*

Quomodo telluri physicè consideratæ?

Quòd si jam Paulina nostra telluri *Physicè* consideratæ accomodare velimus, multò minus est difficultatis, dummodò *Chrysostomianæ prosopopœæ* relinquamus aliquem saltem locum. Et cur nolimus? *C'est la figure favorite* non docto-

doctorum tantùm omnium, sed inprimis Sp. S. Ipse Paulus rarò abstinere potest ne hoc quidem capite, sive initium spectes, sive medium, sive finem.

Quanquam nec admodùm figurátum est, si terram ejúsque varias proles dicamus *invitas* suis obnoxias esse cachexiis. In eo enim concordant Physici: *quamvis substantiam conari statum sibi convenientem tueri, destructioni suæ reluctari, & damna illata reparare.* Nulla est bestiola, nullus cæspes, in quo id non ad oculum compareat.

Expectare, gemere, parturire sanè de pluribus terræ partibus & de tota impropriè dicitur, nisi eam velimus cum pluribus & veterum & recentiorum statuere animatam, quod videlicet, nescio quis, eam

Spiritus intus alat, totósque infusa per artus
Mens agitet molem, magno se corpore miscens:

quam camarinam jam non movebimus. Diximus jam supra, & sacros & profanos authores sic, quasi more quodam, loqui. Ediderunt nuper viri excellentissimi & doctissimi elegantes lucubrationes, alter *de querelis piscium*, alter *de morbis plantarum*: Apud Virg. *Equus guttis humectat grandibus ora, omnis parturit arbos, &c.* In sacris *lugent nemora, pecudes, campi &c.* vel centies. Quocunque circumferimus oculos, species quædam occurrit *lassitudinis & tædii* cujuspiam in hac corruptione perseverandi, & conatûs, sese in avitam formam & conditio-

nem revocandi, aut saltem projectu seminum interitum vindicandi suum. Atque sic fit, ut potentissimi & sapientissimi conditoris singulari & mirifico instinctu, creatura, ob fidelium exilia & miserias ipsa quoque *atrata* quasi, & *sordidata* incedat, atque velut nutricula principis pueri (*Chrysostomi* utor similitudine,) valde ejus elevationem in thronum exoptet, ventura quippe, pro captu suo, in aliquam ejus gloriæ partem, & *paradisiacam stolam* rursus indutura.

De liberatione creaturæ sic intellectæ.

Supereſſet itaque jam, ut inquireremus, quæ *liberatio* creaturæ huic *expectanda*, & *quæ revelatione, redemtionéque filiorum Dei*. Nimirum quo pacto in hac adhuc vita, cùm summa rerum penes populum Dei erit, ii quoque, quos Deo T. O. M. non visum est convertere, (ut sanè *hædi*, etiam superstites, erunt) Antichristi, ejúsque vasallorum, aliorúmque impotentium dominatorum tyrannide exauspicati, pacificam commodámque vivendi rationem quasi micas de mensa Christianorum habituri sint? qua de re Prophetarum præsagia sunt longè uberrima clarissimáque.

Deinde, quo pacto tellus hæc nostra, totúsque illius vortex ultimo illo incendio (quod *Carteſiana Philoſophia* non ineptè concipere potest) recoquendus sit ad pristinum, imò majorem adhuc nitorem vigorémque, ut fiat *cælum novum & terra nova*, veteribus colonis sanctis saltem post habita interim in *alto aëre comitia*

via, restituenda, & pro beata illa glorioſáque colonia in æternum futura?

Hæc, inquam, omnia jam fuſius deducenda forent: Sed obſervo, A. H. dudum *lumbos ſedendo & oculos ſpectando dolere, manendo hunc Solonem, quoad ſe recipiat*:

Heic ergo vela complico, judicioſis amicis non illubenter cogitata mea reliqua otioſo aliquo die delineanda, communicaturus ſcripto. Nam ut tali fiat prælectione, non amplius eſt commoditas, quia ſuggeſtus iſte à melioribus quatietur magiſtris.

Poriſma & Epilogus.

Noſtrum eſt *creaturam* aſpicere, ut aſpexit, & aſpicere juſſit ſanctiſſimus iſte Paulus, velut *Bileamum* aliquem futuræ beatæ noſtræ ſortis præſagum, & rivalem, interim velut rem, quæ, Deo ita volente, in temporaria quadam, ſed grandi imperfectione verſetur: Neutiquam in ea quærere fortunas noſtras, neutiquam ejus noſtrásque miſerias impatienter dedignari, imò *ridere*, (ut feſtivè nuperrimus quidam aûthor ſagaciſſimus jubet) *ridere*, inquam, *antequam ſimus felices, metu ne fortè moriamur, ſans avoir ri*: Sic enim hactenus comparatum eſt, ut nihil promercale magis ſit, quàm *gemendi & dolendi* & exemplum & commoditas. Verùm nos ſubinde abſtemii ſimus, & hæc ut deſitura contemplemur. Dabit meliora Deus, & regna reſurgere Trojæ, mittet tempora ἀναψύξεως, & vocabit *ad pileum* compeditos. Duremus & noſmet ſeu vivos, ſeu redivivos rebus ſerve-

mus secundis, ipso creaturæ hujus exemplo βελπίζειν discentes. Deus T. O M. autem repertor ille idémque futurus reparator omnium dirigat gressus nostros ad sanctitatem, vanitaris corruptionísque sincerum tandem fastidium, acceleret gressus suos, & largiatur tandem plenam exauditionem suspirio nostro quotidiano; *adveniat Regnum Tuum.*

Ad vos me jam, tribus verbis, converto, *Magnifice* &c. — qui benigna & frequenti præsentia interscenia hæc nostra, & ludos intercalares ornare voluistis. Sicuti illis, qui, *de compacto quasi, & suspecta satis diligentia* sese subduxerunt, minimè indignor, neque enim eorum quæ attulimus ideò ignaros puto, imo paulò plus, quàm diximus scire suspicor; ita gratias Vobis habeo agóque longè observantissimas, vestróque meam de Musæ Tigurinæ existimatione pro modulo bene merendi voluntatem, prothymiámque affectui proporrò commendo: simúlque obsecro, ut castrense hoc & ἄπυρον, quod pro valetudinis, distractionum, & hebetudinis meæ ratione, vobis apposui obsonium, æqui boníque consulatis: Síque etiam aliquid in materia hac problematica cæspitavi, aut non commodè satis cogitavi dixíque (ut sanè sesquihomo sum, procul ab illo infallibilitatis, & *omniscibilitatis* fastigio, quippe quod ne *videó* quidem) aut pro *non dicto* habeatis, ipsimet meliusculè interpretemini, aut me, pro eo ac lex humanitatis requirit, interpretem esse

patia-

patiamini; Ita Deus vos ſervet florentiſſimos, *creaturæ gementi* quàm diſſimillimos, Magnificique inprimis & celeberrimi D. Scholarchæ Patroni, & amici mei honoratiſſimi faſcibus & rebus ex alto uberrimè benedicat!
Factoque hîc fine quieſcam.

(Imò jam novæ amplissimæ ſpartæ.)

Soli Deo Gloria.



Index.

A.

ANgelus quid notet? p. 123.
Ἀπεκδοχὴ quid? p. 166. p.
Ἀποκαραδοκία quid? p. 165.
Ἄρρητα ῥήματα quæ? p. 104.

B.

Buceri sententia? p. 107.

C.

Cacodæmon Dei simia. p. 75.
Claudii tempore miser Imperii Rom. status p. 162. Multa ostenta p. 163.
Cleomedis raptus. p. 78.
Cœlum Ubiquitisticum. p. 82.
Cœlum tertium quod? p. 16.
Cæli à terra distantia? 90. & 92.
Cometæ p. 204.
Creaturæ spes. p. 171.
Creaturæ liberatio. p. 172. & p. 226. quid per illam intelligatur? p. 173.

D.

Δὴ quid significet? p. 58.
Δόξα quid notet? p. 171.

E.

Eclipses quid? p. 204.
Elementorum acrasiæ p. 229.
Epistolæ ad Corinthios scriptæ tempus p. 49.
Epistolæ ad Romanos p. 161.

F.

Φθορὰ quid &c? p. 170.

Θεοῦ θελέα. p. eâd. involuntaria. 1711.
Θεοῦ num toti Universo tribui possit? p. 201.

G.

Gentilium ritus capillos Deo alicui &c. consecrandi p. 28.
Globi terraquei variæ vexationes p. 220. 221.
Grotius notatus. p. 67. & 83.

H.

Ὑπερμάχεσθαι quid? p. 118.
Ὑπερβολὴ quid? 117.

I.

In Christo quid? p. 67. & 69.
Ittigius notatus. p. 197.
Judæorum grandes corruptiones. p. 162.

K.

Κολαφίζω quid? 124.
Κλῆσις quid?, pag. 177. 180. 183. & 192.
Κλῆσις vocis origo. p. 164. significatus ibid. per κλῆσιν quid intelligatur. p. 111. 115. 119. 173
Κλῆσις liberatio. p. 226.
Κλῆσις spes p. 171.

L.

Lightfooti conjectura. p. 51.

M.

Ματαιότης unde? p. 169. illius significatus ib.
Monachorum hodierno rum περιεργία,. p. 31.
Mortibus omnia plena p. 222.

N.

Naziræatûs leges à quo sint fixæ? pag. 10.
Naziræatûs institutio Sacramenti faciem habet p. eâd.
Naziræatûs duæ classes eâd.
Naziræatûs disciplina p. 16.

16. & 18. mysteriis fæta 29.
Naziræatûs scopus p.16. & 18.
Naziræatûs votum p.15.
Naziræatûs interdicta p. 18. 20. 25.
Naziræatus nucleus quis? p 30. & 34.
Naziræi qui sint? p.7.8.
Naziræi temporarii p.25.
Pseudo *Naziræi* p.9.
Naziræorum ritus an à gentilibus? p.29.
Naziræorum festæ solemnitates p.27.

O.

Occasio scriptionis ad Corinthios p.45.
Ὧδνω quid? p.162. illius significatus 168.

P.

Paradisus quo sensu h. l. sumatur? p.98.
Paradisus apud Exot. quid notet? ib.
Paradisi terrestris cum cælesti congruentia p.100.
Paradisi cælestis ἐξοχὴ p. 102.
Patrum quorundam sententia p.129.
Pauli abstinentiæ suarum laudum quæ causa? p. 114.
Pauli icon p.158.
Pauli raptus quo tempore &c. p.49.
celeritas p.94.
Pauli gesta in tertio cælo p.203.
Pauli modestia p.55. & 59. & 63. 68. 109.
Pauli dubitatio de modo raptus sui p.80.
Pauli raptus p.70.
Paulus Naziræus p.13.
Paulus perstringit facetè æmulos suos p.210.
Phantasiæ damnum. pag. 189.
Pontificiorum absurdæ sententiæ p.142. refutantur p.144.

R.

Rapi qui dicantur? p.70.
Raptorum exempla p.75. & 77.
Raptus Pauli p.70.
Raptus Paulini locus p. 82, celeritas p.94.
Raptus Romuli p.78.
Raptus Cleomedis ib.
Raptuum varia genera p. 72. 74.
Romanorum Status p.159
Romanorum cura in tyronibus militiæ eligendis pag.15. exercendis p.17.

S.

Σαὲξ quid? p.123.
Satan quid? p.86. & 133.
Scolops unde? p.119.
Significatus vocis *Scolopis* p.120, 121, 122.
Spanienſis ſententia pag. 131.
Σεvάζω quid. p.167.
Syderum ortus & interitus p.203. illorum faſtidium p.205. illorum in terras triſtes influentiæ &c. negantur 206.

T.

Terræ globi proportio ad univerſum. p.201.
Theophylactus notatur. p. 67. & 83.

V.

Vechneri ſententia p. 122. 137. 140.
Vexationes globi terraquei p.220.
Viſio & revelatio quid differant? p.63.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866290710/phys_0238
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866290710/phys_0244
DFG

ur ſolummodo ſe-

ii , quoties *cælorum*
ætheris plagas in-
hil aliud ſignificent,
circumfuſam, unde
ua ludunt *aves*, cui-
nis, ut ſuſpicor, neu-
quid aliud eſt Matt.
lum maſtum, & quaſi
phæra?
intelligi *magnifican-*
icas, quibus ſub hoc
interitus. Subinde

interveniunt, quo-
ni ſenſu, ſed omnino
e. Quis enim v. g.
as moles ſenſu pro-
culum iſtum, & qui-
verrenda? Subinde
cræ neutiquam de-
us, ſed *ab ignibus fa-*
lliformibus, ut Jud.

raque ponit Spir. S.
am labem, tabémque
dicia Dei poſt Pau-
im tempora obven-
utiquam Romano-
ii Paulus, velut lo-

Quot